DE PARACELSO

EIUSQUE OPINIONIBUS.

DISSERTATIO MEDICO-HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE II. M. OCTOBRIS MDCCCXLIV

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

M. F. R. CHRZEŚCIŃSKI

LYCCENSIS-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

R. NEUGEBAUER
J. RAWICZ
S. SAMOSZ
} MED. ET CHIR. CAND.

VRATISLAVIAE.

TYPIS LUCAE, OLIM KUPFERI.

Wohl dem Arzte, der sein Tag vollbracht hatt mit den Arcanis und hatt in Gott und in der Natur gelebt, als ein gewaltiger Meyster des irdischen Liechts!“

Par. de ead. matr. p. 608.

Ich hab ie und ie von Hertzen begert, fürzukommen der Kranken verderbung.

Par. chir. magn. P. I. p. 115.

PARENTIBUS

OPTIMIS

USQUE AD CINERES COLENDIS.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

I. Vita Paracelsi.

Natus est Philippus, Aureolus, Theophrastus, Paracelsus Bombastus ab Hohenheim [1]), iam sat cognitus nomine Theophrastus Paracelsus, anno 1493 [2]) vico „Einsiedel" in Helvetia sito [3]), quo pater eius, ut nonnulli volunt, filius spurius magistri cuiusdam ordinis teutonici, tum tempore medicinae Licentiatus vixit, postea autem urbem profectus est Villachium in Karinthia sitam, ibique per triginta duos annos munere medici functus est. Sicuti tota Paracelsi vita et calumniis mendaciisque ab inimicis inventis, aliisque fabulis, quibuscum omnes illius aetatis obscurae viros excellentes a populo ornatos videmus, corrupta est et in tenebris habetur, ex quibus verum a falso separatum in lucem protrahi vix potest, ita pueriles praecipue Paracelsi aetas iuventusque prorsus sunt obscurae. Hoc vero ex eius pueritia constare videtur, eum tres vel quattuor annos natum anseres pascentem a sue feroci violatum, vel a milite vel a patre castratum genitalia perdidisse, cuius rei pro certo habetur argumento, quod feminas semper in odio habuerit neque umquam barbatus fuerit.

---

1) Haller, auctoritatem secutus Zelwegeri eum vocat Höchener. Bibl. med. pract. § CCXLVIII; quod tamen falsum esse Testamentum Paracelsi argumento est.

2) Adami vitae medicorum germanorum L. 28: Est non nemo, qui Theophrastum natum velit anno 1483, die decimo Novembris, ipso meridie, e duabus nobilibus familiis ab Hohenheim et Bombast. — Volunt eum etiam nonnulli anno 1443 natum esse.

3) Haller oppidum, in quo natus sit Paracelsus, nominat: „Gaiss"; Schröckh: „Hundsweil"; Thomas Erastus: „Hoheneck."

Primam Paracelsus eruditionem a patre[1]) in Alchymia, Astrologia et Medicina accepisse dicitur; quo facto more sic dictorum scholasticorum vagantium patriam pererravit, ex illis sibi victum quaerens artibus, quibus a patre imbutus erat, et quibuscum artem futura divinandi, spectros provocandi, aliasque coniunxit. Quae quanquam mos scholasticorum vagantium vituperanda et iam a Luthero gravi affecta est vituperio, tamen ex ea Paracelsus magnum sibi paravit fructum, cum in itineribus semper cum celeberrimis chemicis et medicis versatus sit, sibique cognitionem pro illis temporibus non levem chemiae paraverit. Itaque suos fuisse praeceptores haud sine iure dicit: Scheytium Settgahium, Erlachium Laventhalium, Nicolaum Hipponensem episcopos, Matthaeum Schachtium suffraganum, Joannem Trithemium de Sponheim abbatum, Siegismundum Fuggerum de Schwatz, apud quem maxime in studium Alchymiae incubuit[2]). An Basilio quoque Valentino praeceptore usus sit[3]), dubium est; hoc autem constare videtur, eum Valentinum ex libris cognovisse. Lessingius[4]) Paracelsum contendit anno aetatis suae sexto decimo universitatem, quae tum tempore Basileae florebat, adiisse, cuiusnam auctoritate nisus, nescimus. Plures eum frequentasse universitates. revera quoque doctorem fuisse promotum, quibusdam operum, quae composuit, ex locis patet[5]), etsi inimici eius re hacce nisi, quod universitates has nun-

1) Par. chir. magn. p. II. p. 82.

2) eodem loco p. 82. et s.

3) Quod Stollenius contendit in suo libro: Anleitung zur Geschichte der medicinischen Gelahrtheit.

4) Less. Paracelsus, sein Leben und Denken, p. 8.

5) Praefat. in chir. magn. p. I. Refert se in universitatibus Germaniae, Italiae et Francogalliae medicinae studuisse.

quam nominet, ex eo concludunt, universitatem quamdam eum non frequentasse, sibique potius doctoris gradum arrogasse [1]).

Studiis absolutis itinera Paracelsus fecit, primo per diversas Europae terras, quarum in praefatione chirurgiae magnae Lusitaniam, Hispaniam, Britanniam, Marchiam, Borussiam, Lithuaniam, Poloniam, Hungariam, Wallachiam et quae sunt aliae nominat, tum chirurgus castrensis [2]) expeditioni cuidam in Dania et Suecia interfuit, quo loco ab nobili quadam femina [3]) in Holmia aquam vulnerariam et dolores sedantem parare se didicisse dicit: sicuti omnino itineribus suis in alios medicos, quorum experientia ex cubiculis orta sit [4]), se iactat et multis in locis se in itineribus suis ubique ab clarissimis medicis chirurgisque non tantum, sed etiam ab tonsoribus, balneatoribus, magis, alchymistis, feminis aliisque didicisse narrat [5]). Qua occasione data Bremerus, qui semper quam acerrime in Paracelsum invehitur, eum medicos et chirurgos maxime vitasse dicit, ne nimis patefieret ignorantia eius [6]); cuius tamen opinionis accusationisque levitas et vanitas ea iam satis superque confutatur ratione, qua se postea omnibus illius aetatis medicis opposuit Paracelsus, eorumque inscientiam erroresque apperuit. Sueciae metallis visitatis, sibi accuratiorem officinarum metallicarum acquisivit cognitionem; quo facto cum principe quodam tartareo per Russiam Asiaeque partem

---

1) V. Smet: Miscellan. med. B. XII. p. 684.

2) Schröckh. Lebensgeschichte etc. S. 15.

3) Chir. magn. p. 45.

4) denn in den Stuben ist ihr Erfahrniss und in den Stuben wird allein erfahren, was die Fantasie gibt.

5) Praef. in chir. magn. P. I.

6) Bremeri dissert. de Par. p. 15.

profectus et itineribus per Moskaviam et Constantinopolin urbes factis in Germaniam reversus est, nullo in decem annis libro, ut ipse affirmat, perlecto [1]). Discipulorum nonnulli eum per Africam et quidem per Arabiam Aegyptumque itinera fecisse contendunt; quod tamen falsum ipse refutat.

Paracelsus anno 1525 [2]) Basileam venit, ibique anno 1526 professor Chirurgiae et Chemiae designatus est, ut multi volunt, Oecolampadio ei favente, ut Paracelsum primum Chemiae [3]) professorem fuisse constet. Basileae per duos annos Chemiam et chirurgiam magno gaudio et fructu auditorum docuit, et quidem primus lingua usus est vernacula [4]), ab aequalibus doctis prorsus neglecta contemtaque. Quamobrem multi eum vehementer vituperarunt, dicentes eum homines incultos et in litteris prorsus rudes ad studium pellexisse medicinae; cui accusationi quamquam aliquid veri inesse non diffiteri possumus, tamen etiam confiteamur necesse est, eum, qui compedes graves et ponderosas, quas litteris excolendis lingua latina imponeret, abiecerit et recusaverit, et auditoribus multo planiorem et altiorem rerum, quas docuit, cognitionem comparare, et ipsum has materias maiore subtilitate tractare potuisse. Controversia [5]) quaedam cum canonico ab Lichtenfels, qui ab eo sanatus promissa sua solvere noluit, in qua a magistratu condemnabatur Paracelsus, causa fuit, quod amicis persuadentibus Basileam reliquerit, ne alias in eum constitueret poenas

1) Fragm. med. §. 131.

2) Ut nonnulli volunt, anno 1526 Basileam venit, annoque sequenti Professuram est nactus.

3) A. Dumas Philosophia Chemiae.

4) Adam: Docuit autem praeter Academiarum morem lingua vernacula. p. 29.

5) Schröckh. Lebensgeschichte etc. p. 16.

magistratus, gravibus ab eo iniuriis affectus. Iam odium invidiamque medicorum et pharmacopolarum in se converterat, cum novis, quas ad morbos hominum curandos invenerat, doctrinis tum postulatione quadam, ut magistratus officinas medicamentorum disquirat sibique persuadeat, pharmacopolas et artis suae esse peritos et omnia in officinis parata et praesentia habere medicamina, eaque non nimis pretii praebere[1]).

Itaque iterum vagam degere et instabilem vitam coactus est. Paucis tantum eum sequentibus discipulis et asseclis, qui ab eo et panaceam universalem et lapidem philosophorum se nacturos esse putabant, sed cum spes eos fefellisset, eum relinquebant, nonnullos Alsatiae, Germaniae et Helvetiae pagos pererrabat, nunc in oppidis a civibus honoratus et ab aegrotis et medicis consultatus, nunc ex iis eiectus in vicis tabernisque, ut haud certe definiendum sit, quonam tempore alibi vixerit.

Ex illorum numero, qui eum sequebantur, Oporinum tantum commemoremus liceat, qui ex amico intimo acerbissimus eius factus est inimicus, infelicemque magistrum iniuriis accusationibusque falsis et fictis accumulavit[2]). Lessingius[3]) affert, quod etiam constare videtur, Paracelsum Basilea relicta primum in Alsatiam profectum esse, anno 1528 Colmariae, anno 1529 Esslingae et Noribergae, tum anno 1530 in nonnullis et Bavariae et Tyrolis oppidis, e. g. Augustae vindelicorum, anno incipiente 1531 in Helvetiae oppido St. Gallen adfuisse, „ibique opus suum“ paramirum de tribus substantiis medico urbis publice constituto dedicasse; anno 1536 eum Mynchrathi praesen-

1) Lessing. p. 11.

2) Sennert. tr. de cons. ac. diss. chymic. c. Gal. et Aristot. C. 10. p. 188.

3) Lessing. p. 11 et seq.

tem fuisse, quo loco chirurgiam suam magnam Caesari Ferdinando dedicavit, tum Augustae vindelicorum. Tum Villachio urbe visitata, anno 1541 Salisburgiam petiit, qua in urbe die 24 mensis Septembris 1541[1]), quadraginta octo natus annos, supremum obiit diem. Sepultus est loco sepulcrorum St. Sebastian. Omnium quae reliquit, nonnullis tantum legatis affinibus positis exceptis, pauperes heredes fecit[2]).

Multae ac diversae sunt opiniones, quamnam mortem occubuerit. Bremerus[3]) auctoritatem secutus Sennerti eum intemperie omnis tempestatis et intemperantia cruciatum contractum factum et mortuum esse dicit. Alii tamen auctore Crollio eum venenum a medicis accepisse contendunt. Helmont mortem subitaneam Paracelsi vaporibus adscribit perniciosis, quos semper in officinis chemicis laborans hauriret necesse erat. Lessingius[4]) illius est opinionis particeps, quae Hesslingio aliisque scriptoribus antiquioribus auctoribus eum ebrium a conviviis revertentem a servis nonnullorum, qui eum in odio habuerunt, medicorum, insidiis oppressum et a colle deiectum nonnullis diebus praeteritis mortuum esse vult. Quam opinionem recentiori tempore Th. ab Sömmering certiorem fecit, qui capite Paracelsi, Salisburgiae reservato, disquisito, fissuram, totam partem squamosam sinistri ossis temporum penetrantem, oculis crevit, quam fissuram pro vulnere, quod in homine tantum vivo esse potest habet. —

---

1) Ad. vit medic. germ. p. 30; quod etiam in eius sepulcro insculptum est.

2) Testam. Th. Paracelsi ab Hohenheim, des grossen Teutschen.

3) Brem. dissert. de vita et opin. Paracelsi p. 11.

4) Lessing. p. 18.

II. De Paracelsi ingenio, moribus et studiis.

Antequam ad ea, quae in litteris praestabat Paracelsus diligentius et accuratius examinanda aggredimus, nostrum esse ducimus, de ingenio, moribus studiisque huius viri ingeniosi pauca praefari, ut de eius moribus naturaque imaginem satis dilucidam depingamus. Ipsae enim mores Paracelsi inimicis saepius copiam praebuerunt multa opprobria obiiciendi, qui cum illas in peiorem partem interpretari conarentur, eo ipso maxime ei nocere putarunt, odiumque contemtionemque eorum, qui melioribus erant moribus in eum eiusque discipulos transferre studuerunt. Ii rerum scriptores, qui seriore vixerunt aetate et de eo scripserunt, ea, quae illius inimici censuerant, caeci secuti sunt, neque considerarunt, neque diiudicarunt, quid hac de re veri, quid falsi esset. Goerres [1] erat primus, quantum scimus, et post eum Rixner et Sieber [2], et nuperrime imprimis Lessingius [3] conati sunt eum opprobriis iis purgare, quibus et aequales et posteri satis superque consectati sunt, eiusque mores honorificentius adumbrare. Quibus Bremerus [4] non annumerandus est, qui potius aeque atque illi, quos supra commemoravi Paracelsi inimicos, eius mores summo affecit vituperio. Lessingius Paracelsi mores ex libris ab eo scriptis quaerit, atque ex sententiis subtiliter excogitatis de virtute facit conclusionem [5], et quaedam vitia, quae Paracelso crimini data sunt, pro illius temporis ratione

1) Goerres in praefatione ad philosophiam suam.

2) Leben und Lehrmeinungen berühmter Phys.

3) Paracelsus, sein Leben und Denken. 3 Bücher von M. B. Lessing.

4) De vita et opinionibus Theophrasti Paracelsi dissert.

5) Leben und Denken d. Paracelsus. p. 42.

excusari posse demonstrat, neque immerito, etiamsi concedendum est, Lessingium, cum virum omnibus vitiis liberatum, arrogantiamque vel in modestiam loco quodam conversam esse velit, in Paracelso excusando nimis longe procedere. Paracelsus non erat tam depravatis moribus, neque bona indole privatus, ut Oporinus multique alii voluerunt, sed etiam non tam innocens et probus, quam eum fuisse Lessingius dicit.

Virum laudatum eximia indole fuisse omnes ad unum, qui de eo sententias tulerunt, professi sunt[1]. Hoc etiam tuentur sententiae subtiliter excogitatae docteque pronunciatae, quas ubique locorum in eius operibus reperimus; hoc illa perceptio rerum naturae clara, quae nos, cum illius temporis tanquam tenebrosi, quo vixit, meminerimus, summa afficit admiratione; hoc defendunt magna inventa, quae abunde excogitavit, quibusque viam ad litteras munivit; hoc denique curae in morbis iis, qui ante eum insanabiles ducebantur et quos tractandos medicorum quisque desperaverat, prospero cum successu adhibitae[2]. Quae omnia vitam degens vagam et instabilem perfecit!

Ipsa haec vivendi ratio ei saepius vituperio attributa est, atque eo ipso tempore, quo vixit obiecta; nam compluribus locis talia opprobria refutat et, non omnes morbi, ait, inveniuntur in patria, quare medicus, qui officiis satisfacere velit, in omnes terras peregrinetur et ubique discat necesse est[3]. Quod op-

1) Adamus (med. germ. vitae) cum dicit „ingenio acutissimo et fere divino“ fuisse praeditum.

2) Itaque eius sepulcro hocce insculptum est epitaphium. Conditur hic Philippus Theophrastus, insignis medicinae doctor, qui dira illa vulnera, lepram, podagram, hydropisin, aliaque insanabilia corporis contagia mirifica arte sustulit etc. V. Adam.

3) Defens. IV, p. 258. Alia Lessingius hac ex defensione citat loca, ex quibus nonnulla ipsis Paracelsi ver-

probrium ut refutent, illius discipuli attulerunt virum doctissimum nusquam diu commoratum fuisse, quoniam semper novam quaesiisset occasionem, novam ad morbos sanandos et meliorem viam muniendi, id quod etiam Schroeckhius[1]) commemoravit, et in quo etiam Lessingius[2]) eum tanquam siti scientiae flagrasse ostendit. Qua de re certum ac firmum iudicium facere non conamur; tamen propensi sumus meliorum in eum virorum sententiis nostram adscribere; hunc saltem amorem, ne dicamus, cupidinem per omnes terras proficiscendi, omniaque per maria navigandi, ut omnia memoriae digna suis viderent oculis, iis saepissime in viris esse videmus, qui in rerum naturae rebus quam occultissimis perscrutandis secretisque in lucem protrahendis occupati sunt. Ad illud opprobrium, quod de vita factum est, aliud accedit, quod inimici eius haud immerito obiecerunt, et quod fortasse cum illa vage vivendi ratione cohaeret, potus amor, quem Bremerus dicit solam principalemque animi eius fuisse affectionem. Etiam propter hoc probrum, quod factum

---

bis afferamus, liceat: ich bin der Kunst nachgegangen, sogar mit Gefahr meines Lebens und habe mich nicht geschämt, selbst von Landfahrern, Nachrichtern und Scheerern zu lernen. Denn wir sehen die Liebhaber weite Wege durchziehen, um das köstliche und herrliche Weib zu erblicken: wie viel eher muss das geschehen der prächtigen und erhabnen Kunst wegen. — Ein Arzt soll ein Landfahrer sein. Ursach: die Krankheiten wandern hin und her, so weit die Welt ist und bleiben nicht an einem Ort. Will einer viel Krankheit erkennen, so wandre er auch; wandert er weit, so erfährt er viel und lernt viel erkennen. Und ob es würde, dass er wieder in seiner Mutter Schoos kommt, kommt dann ein fremder Gast in sein Vaterland, so kennt er ihn.

1) Schröckh. Lebensgeschichte etc. p. 18.

2) Lessingius, Paracelsus, sein Leben etc. p. 59.

est, eum Lessingius[1]) excusare studet, et nos quoque cum eo consentimus, quatenus ille, quod complures ante eum fecerunt[2]), et aetatem, qua vixit, et totum populum, cuius fuit, huius vitii arguit, et quatenus ex illa epistola, ex qua maxime illa verba „combibones optimi," quibus adolescentes litterarum studiosos allocutus est, inimicis eius tanquam titulus criminationum habebatur, alios etiam locos attulit, qui illa dicta, etiamsi non plene tamen quodammodo mitigant. Sed si Lessingius hac de re commemorat, Paracelsum animi morositatem, quae ex illius aetatis ratione et indole exorta erat tanquam fluctibus voluptatum obruisse, et procellas, quibus animus defatigabatur adhortationesque conscientiae acerbas mitigare voluisse oblivione sui ipsius: hoc moribus viri talis strenuis et gravibus vix accommodatum est, qualem etiam alias Lessingium depingere animadvertas Paracelsum. Oporino[3]), ut multi iam alii, exempli gratia Schröckhius bene animadverterunt, cum potandi cupiditatis aliorumque Paracelsi vitiorum mentionem facit, nullo quidem modo confidendum est, quoniam criminationes, quibus suum magistrum infestabat, ex causis perquam humilibus et levibus odii et invidiae proficiscuntur; attamen negari nequit Paracelsum potus fuisse magis cupidum, quam decebat, et voluptates et convivia amasse, in quibus etiam eum mortem maturasse supra iam diximus. Alia praeterea Paracelsi vitia, quorum et aequales et posteri etiam eum arguebant, erant immodica arrogantia superbi-

---

1) Lessing. p. 32-33.

2) Bitiscus in praefatione ad opera Paracelsi; multique alii.

3) cf. Oporini epistola in tractatu de consensu ac dissensu chymicorum cum Galeno et Aristotele ab Sennert. K. 4. p. 188.

aque, rusticitas et calumniandi studium [1]. Etiamsi negari nequit existimationem sui ipsius quandam et superbiam conscientia meritorum procreatam virum bene decere, tamen apparet in Paracelso illa superbia nimis magna et vituperatione digna. Nam Paracelsus omnes, qui eius aetate et ante eum vixerunt medicos, excepto fortasse Hippocrate solo, cuius de aphorismis ipse scripsit [2]) aspernatus est [3]), libros Galeni et Avicennae [4]) concremavit, se ipsum persaepe laudat et monarchum appellat [5]), medica-

1) Attamen, si illius temporis medici tales fuerunt, quales eos multis locis descripsit, nescimus, an propter rusticitatem et in eos calumniandi studium sit vituperandus.

2) Explicatio aliquot aphorismorum Hippocratis. Coelln 1567. 4.

3) Fragment. med. p. 144 et praefat. ad paragr.: „Hoc sit vobis dictum, stultissimus pilus occipitii mei plus scit: quam vos et omnes vestri scriptores: et calceorum meorum annuli sunt doctiores, quam vester Galenus et Avicenna; et barba mea plus experta est, quam omnes vestrae Academiae; quin et horam ipsam sentiam, quando sues vos in luteo trahent.“

4) Schroeckhii. Lebensgesch. berühmter Männer. p. 15.

5) Quamque dicit terram medicum excellentem progignere; Archaeum s. genium Graeciae Hippocratem etc., Archaeum Germaniae eum ipsum progenuisse. — Sat cognitus ille est locus P. 1. p. 11.: und müsset mir nach ich nicht euch nach, Ihr Mir nach, Mir nach Avicenna, Galene, Rhazis, Montagnana, Mesue etc. Mir nach und nit ich Euch nach, Ihr von Paris, Ihr von Mompelier, Ihr von Schwaben, Ihr von Meissen, Ihr von Coeln, Ihr von Wien und was an der Thonaw und Rhein-Strome liegt, ihr Insulen im Meere, Du Italia, Du Dalmatia, Du Sarmatia, Du Athenis, Du Griech, Du Arabs, Du Israelita; Mir nach und ich nicht Euch nach, ewrer wird keiner im hindersten Winkel bleiben, an den nicht die Hunde seichen werden, ich wirdt Monarcha, und mein wird die Monarchey sein, und ich führe die Monarchey und gürte

menta a se inventa et adhibita supra modum laudat; qua re fieri necesse erat, ut odium medicorum, iam ex eius nova medendi ratione ortum, magis magisque in se conflaret et ut haec arrogantia magnam partem inimiciarum, quae in illius quoque discipulos conferebantur, causa esset.

Copiam criminationum multo etiam largiorem inimicis praebuerunt sententiae opinionesque, quas de deum colendi ratione religioneque concepit. Verum est Paracelsum caeremonias vanas nihili fecisse [1]), monachos saepius perstrinxisse, in sacerdotesque invectum esse, vel discipuli fatentur eum nunquam sacris interfuisse: nihilominus vero inimici non recte iudicabant, si eum ab omni dei pietate vacuum esse statuebant, Arianismi accusabant, praesertim cum non in universum preces, sed tales exercitationes publice institutas reprehenderet et virtutem probitatemque tanquam fulcra studiorum esse velit; quae omnia, ut argumentis comprobarentur, Lessingius ex illius operibus documenta satis multa petiit, ad quae nos quoque lectores delegamus [2]). Ipsam omnem philosophiam in rebus religiosis esse conditam vult, dicens: Das ist, so ein Philosophus nit aus der Theologei geboren wirdt, so hat er kein Eckstein, darauf er sein Philosophei setzen mag, dann auss der Theologei gehet die Wahrheit, ohne sie mag nichts gefunden werden [3]).

---

euch ewere Länden. Wie gefaellt euch Cacophrastus! diesen Dreck müsst ihr essen. Wie wird es euch Cornuten anstehen, so ewer Cacophrastus ein Fürst der Monarchey sein wird? Und ihr Calcfactores werdend Schlotfeger; wie dünckt euch, so secta Theophrasti triumphiren wird?"

1) de orig. morb. invis. p. 114. „Gott allein das Herz haben will und nit die Caeremonie.

2) Lessing. p. 42 et seq.

3) Philos. magn. Cap. II. p. 7. Itaque persaepe argumenta suis verbis ex bibliis sacris citat.

Quod ad eruditionem et studia Paracelsi plerique eorum, qui de eo scripserunt, in omnibus ad litteras pertinentibus disciplinis eum plane rudem fuisse, praecipue studium linguae latinae, tum tempore omnibus, qui aliquantulum tantum in litteris profiteri voluerunt, pernecessariae prorsus neglexisse dicunt. Ex multis talibus de eo iudiciis nonnulla tantum afferre volumus. Tale iudicium illud Erasti[1]) est, qui eum linguarum atque bonarum artium omnium imperitissimum, alioque loco omnis philosophiae rudem fuisse dicit. Et quidam apud Erastum Rechklau[2]) se verbum ex Paracelso latinum extorquere non potuisse contendit. Sprengelius[3]) eum nominat eruditionis et humanitatis prorsus expertem, qui litteras desprevit, quarum nullas cognovit. Ipse Adamus[4]), quamquam prorsus eius partium fuit, dicit orationem, qua usus sit latine, barbaram fuisse. Bremerus, quod ad Paracelsi eruditionem hoc de ea habet iudicium: in scriptis eius, stylo barbaro atque inculto et prolaxitate rustica nullum invenitur vestigium studiorum humanorum; et alio loco: ex pluribus dictis eius manifestum est, eum nomine solum cognovisse classicos. Multa etiam affert verba latina, quae in usu habuit corrupta, et quibuscum opinionem suam, Paracelsum linguae latinae prorsus fuisse ignarum, adiuvat. Attamen Lessingius[5]) eius nonnulla opera lingua latina, pro illis temporibus non vituperanda scripta esse contendit. Quod ad eius studium medicinae, idem plerisque est iudicium huic eum prorsus non incubuisse. Attamen Paracelsus ipse affir-

1) Erast. disput. de nov. Par. med. T. III. p. 5. T. I. p. 4.
2) T. III. p. 213.
3) K. Sprengel: Geschichte der Medicin. Th. 3. p. 337.
4) Ad. Vit. med. germ. p. 29.
5) Less. Leben und Denken Parac.

mat, se primum scriptis antiquorum ut evangelio credidisse, et demum per dubitationem ad veritatem pervenisse[1]); et ex eius elucet scriptis, eum non tam rudem fuisse, quam eum voluerunt adversarii. Bitiscus quoque eum tanta diligentia Galeni scripta perlegisse dicit, ut quondam iussus, integrum ex iis locum recitaverit; cuius rei etiam Adamus mentionem facit.

Sed his de eius ingenio, moribus ac studiis dictis iam necesse nobis videtur, ad ea transeamus, quae in litteris praestabat ac nova invenit.

III. De Paracelsi philosophia et physiologia.

De philosophia Paracelsus, adiectis illis, quos de rebus religiosis composuit, libris, 235 dicitur scripsisse libros[2]), quorum tamen profecto perpauci tantum re vera eo auctore gaudent[3]). Merito atque optimo iure eum vituperarunt propter crebras multasque contradictiones[4]), propter superstitiones quasdam, quibus virum clariore et subtiliore cognitionis luce collustratum proclivitas ad Magiam, Alchymiam et Kabalam, artes tunc tempore maxime usitatas persaepe impedivit,

1) Praef. morb. Pod. § 633. Praef. in magn. chir. P. II. Chir. magn. P. III. p. 47.

2) Secundum Schröckhium.

3) Ipse tantum chirurgiam magnam et illum de gradibus, compositionibus et dosibus, Recepten u. natürlicher Dinge librum edidisse videtur; alia omnia eius scripta a discipulis sunt edita.

4) Quas sibi iam Erastus (Disput. de medicina nova Paracelsi), Dessenius (Defensio medicinae veteris et ratio-

propter abundantiam verborum novorum, non ethymologice fictorum, et quamquam discipuli nonnulli [1]) ad opera eius explicanda claves ediderunt, tamen obscurorum, nec non propter multa, quibus sensu duplice, alioque quam vulgari usus est verba, quae omnia studium ab eo scriptorum difficilius reddunt [2]). Sed maxime eum vituperio omnes affecerunt, quod nullo utatur systemate plane et perfecte conformato, cuius rei causa in eo nobis ponenda videtur, quod semper vitam gerens vagam et instabilem, occasione quaque data de omnibus cuiusvis generis scientiarum capitibus extemplo disseruerit. Attamen illud Bremeri de Paracelsi philosophia iudicium: sunt modo passim dispersae notae et assertiones nullo alio systemate, quorum nullum cognovit, fisae, ex imaginatione vaga hominis et fragmentis scientiarum, quae ubique locorum accidentaliter collegerat, conflatae etc. acerrimum videtur et non probandum. Quamquam enim, ut iam supra commemoravimus, nullum eius scriptis philosophicis inest systema plane et perfecte conformatum, tamen multae inveniuntur diligenter et accurate disquisitae, praeclarae et subtilissimi et ingeniosissimi disputatoris haud indignae sententiae et opiniones, quae principia fundamentalia per totam eius philosophiae regionem patent, et aliqua ex parte illam profecto conservant unitatem, quam nullum adhibens systema prorsus destruere videbatur Paracelsus.

---

nalis adversus Georg. Phaedronem et sectam Paracelsi), aliique sumserunt causas contra Paracelsum pugnandi.

1) Ipse dicitur „clavem et manductionem in proprios libros" scripsisse. Praeterea M. Toxites Onomasticum edidit medicum et explicationem verborum Paracelsi, Gerh. Dorneus: Dictionarium Theophrasti Paracelsi.

2) Ex multis tantum haec afferimus verba: Iliadus, Hyliaster, Alchaest, Adech, Opprimechtiolum, Truphat, Lessas. Duplice sensu utitur verbo astro, anatomia aliisque.

Non pro tenui est habendum merito illud, quo sibi de philosophia aeque ac de medicina paravit Paracelsus, cum philosophiam basin poneret medicinae eiusque studium pernecessarium medicis commendaret, — aliae tres medicinae bases sunt Astronomia, Alchymia et virtus s. probitas, quarum Astronomi saepe idem significare videtur, quod philosophia, saep tamen ea ratione distinguenda, ut philosophia contemplatio sit elementorum maioris mundi [1], astronomia vero quam maxime in consideratione et comparatione mikrokosmi cum makrokosmo versetur [2]) — e nos profecto omnes cum eo consentimus, dicente, medicum nullius esse momenti, nisi rerum naturae totiusque philosophiae studuerit [3]). Und so aber ein Arz nit nach Innhalt der Philosophy in die Artzney kompt der mag kein Artzet sein, dann er gehet nit die rechte Thür hineyn, sonder steyget oben zu dem Tach in sie, darumb so werden ausz inen Mörder und Diebe etc. [4]). Alioque loco philosophiam, Astronomiam et Medicinam non tres esse recte dicit artes, sed unam, iisque irridet medicis, qui medicinae solae, neglectis aliis scientiis, studerent [5]). Sed non tantum philosophiae studium commendavit, sed eam ipsam ex statu sophismatis et verborum captationis, in quo tunc tempore demersam videmus, excitavit, eique claram et bonam rerum naturae cognitionem, observationes occultae secretaeque vitae in omnibus materiis

1) Grosse Wundarzney. Part. II. p. 27.

2) Aliae sunt scientiae ad philosophiam pertinentes Magia, Divinatio, Nekromantia, Signatura, artes incertae (sc. Geomantia, Pyromantia, Hydromantia, Ventinina), Manualis (sc. Arithmetica, Geometria, Cosmographia. Instrumentum, Sphaera). V. dissert. Bremeri.-Praet. Astron. § 508

3) Grosse Wundarzney. Part. II. p. 27. 28.

4) Par. Chir. magn. P. II. p. 20.

5) Parac. opera ed. Huc. 1. 371.

posuit fundamentum, nec non primus omnium animos philosophorum ad respectum makrokosmi in mikrokosmum advertit. Philosophiam, quae dicitur speculativa, desprevit medicosque ab eius studio detraxit. Philosophia, cuius studium medicis utile commendat, semper est idem, quod studium cognoscendarum rerum naturae intimarumque in iis virium, studium deitatis vel spiritus divini in omnibus rebus praesentis. Itaque cum ex natura discendum esse doceat, grammaticas et latinas et graecas despernit, omnesque illos libros erroribus impletos, cum non sint in studio rerum naturae fundati. Et cum tali modo philosophiam tractaverit, ita modo intelligere possumus illum virum temporibus tam obscuris, superstitione quaque impletis, cui ipsum Lutherum videmus deditum, illam sibi parasse eximiam cognitionem rerum naturae, quam ex hisce verbis iudiciisque nostri saeculi haud indignis cognoscas, licet: Die Diug, die Zauberisch, Hexisch, Teuffelisch zu sein das gemeine Volk vermeint, so sie doch all natürlich sind und in natürlichen grund erfunden werden[1]): et alio loco: ehe die Welt untergeht, müssen noch viele Künste, die man sonst der Wirkung des Teufels zuschrieb, offenbar werden und man wird alsdann einsehen, dass die meisten dieser Wirkungen von natürlichen Kräften abhangen[2]).

Ex Paracelsi philosophia haec principia proponere possumus, quorum nonnulla veritate etiam hodie nondum fracta gaudent, alia autem, ex quo magni in studiis ad naturam rerum pertinentibus progressus facti sunt, quodammodo debilitata, alia prorsus refutata sunt; quibus lector facile sibi persuadeat, Paracelsum magnum fuisse philosophum et, paene dicam, profundio-

1) de orig. morb. lib. 10. p. 104.

2) Phil. magn. p. 218.

rem, quam omnes putaverunt, neque eius philosophiam momenti haud magni esse [1]):

1) Omnes res emanarunt ex deo [2]). Deus initium est et finis, omnibusque in rebus praesens. Totus mundus, ait, antea in deo praeformatus fuit et spiritu deitatis quasi exspiratus est. Deus est essentia principalis, ex qua omnes res haustae sunt, magnus, quo verbo deum saepe significat, limbus, quo semina omnium creaturarum continentur. Eius kosmogenia, quae ad hanc partem spectat, neque sine pondere et vi est, infra tractabitur, ubi ad physiologiam accuratius inspiciendam transitus fit, praesertim cum ad hanc etiam aliqua ex parte pertineat.

2) Sed etiam emanationem scientiarum a deo esse statuit Paracelsus [3]). Deus in omnibus rebus et studiis summus est opifex. Spiritus, qui ex eo proficiscitur nos solus omnem veritatem edocere potest. Deus iis, qui bonis sunt moribus, omnem eruditionem impertitur. Homo per se nihil invenit, neque diabolus; deus solus est, qui nobis omnia per naturam in lucem protrahit. Spiritus sanctus in nobis invitis lumen interius accendit et discipulos a se inflatos sapientiam docet, ita, ut mens humana illud comprehendere non possit. Omnino in hac eruditione magia quaedam et kabbala efficax est, de quibus postea verba faciemus.

1) Multa paragrapha ex eius philosophia Rixner in suo libro manuali philosophiae composuit. T. II. p. 10? etc. seq.

2) De limbo, tom. I. p. 575, de orig. morb. lib. 1 c. 3. etc.

3) Paragr. libr. 10. p. 227. „Der Mensch erfindet nichts, der Teufel nichts, Gott allein." Par. libr. 1. p. 208 Chir. magn. p. II. S. 22. „Und die ausz Gott gelehrt sind, sind die gelehrtesten, die ausz dem Gestirn die mindesten, die ausz dem liecht der natur die mitlesten.

3) Naturam Paracelsus unum totum esse ult[1]), cuius partes arcte cum toto cohaerent et mu- uo inter se referuntur. Qua re etiam omnes in rerum atura res in communi harmonia positae sunt, coe- um et terra, mundus et idealis et materialis; id, quod onfirmant impressiones quaedam et signa terrae, sic lictae signaturae, quae potestates spiritualium et coe- estium virium in rebus terrenis tamquam imprimunt et uarum cognitio et interpretatio mago tantum est nota. Doctrinam de signaturis accuratius pertractare nostrum non est, verbo commemorasse satis est. Opinio, qua nominem ab universo pendere et impressiones accipere tque in id retro referre, et qua hominem certis ra- ionibus stellis subiectum esse et ab iis morbis affici statuit, Paracelsum non prohibet, quominus mikrokos- mum et makrokosmum alia ratione per se constan- em[2]) sine mutua dependentia ponat. Gravissima est aec de magni totius mutua relatione et communi har- nonia doctrina, eiusque veritas magis magisque appa- ·et, quemadmodum etiam verum est hominem, quasi nembrum magni universi in nexu tantum cum omni erum natura vere recteque cognosci et intelligi pos- se; id quod Paracelsus compluribus locis laudat.

4) In rerum natura omnia vivunt et quaelibet es suo spiritu praedita est[3]). Quare in quavis re luas vires internoscit, materialem et spiritualem (spi- ritum vitae, astrum), quae ex astris sumta est; quare omnia vivunt, edunt et potant, excrementaque depo- nunt etc. In homine animalibusque hic spiritus vitae in forma Archaei adest, de quo in physiologia plura proferemus.

---

1) Phil. sag. et Astron. magn. Tom. II. in multis locis.

2) Param. lib. 1. c. 1. etc.

3) de modo pharmac. libr. II. p. 772. Haller: Bibl. med. pract. „spiritibus miscebat omnia." § CCXLVIII.

5) Omnes res ex tribus elementis sunt compositae, quae sunt sal, sulphur, mercurius [1]; cui similis opinio iam apud antiquissimos invenitur chemicos. Maxime vero illa triunitas magni est momenti. Sub quibus tribus elementis S. S. M. non vulgaria, ut ita dicam, mineralia intelliguntur, sed symbola tantum vel astra illorum; proprietates, ut ita dicam, astralicae. De quibus postea, si de chemia sermo erit, plura verba faciemus. Hoc tantum est commemorandum, hanc ex tribus elementis compositionem fundamentariis, quam in omnibus materiis invenimus, sed alio sub nomine in animalibus quam in plantis et mineralibus, quandam similitudinem et affinitatem intra omnes res secum ferre. Forma alia, qua se res variae et diversae distinguunt, effectus est spiritus in quaque materia diversi, cui tanta est formam efficiendi vis, ut eam sua voluntate significet. Hac ex compositione ex tribus elementis aequali etiam illud dictum Paracelsi interpretari possumus: omnia, quae in coelo et in terra inveniuntur etiam in homine invenienda sunt [2]).

Istae suae philosophiae Paracelsus Magiam Kabbalamque admiscuit, fortasse auctoritate modo apud populum nacturus, consuetum medicum virum habere in arte magica bene peritum, daemonumque familiarem, magumque rerum peritum hominum ingenio ignotarum, fortasse etiam, quia Paracelsi ingenio, cui, multa naturae mysteria aggresso, etsi memorabilia multa cognovisset, plura tamen ignota erant, re vera summa naturae mysteria nonnisi ratione quadam supranaturali non solvi posse videbantur. Kabbalam dicit omnia solvere „schliesst Alles auf [3]);" naturae studium accuratiorque eius cognitio nonnisi Magia, quod saepe

1) Philos. magn. p. 92, et permultis aliis locis.

2) Param. lib. III. c. 1.

3) Paragr. lib. II. p. 214.

idem quod kaballa, adiuvatrice appeti potest. Magiae[1]) ope omnes res coelestes et terrenas interpretamur et sine magiae cognitione medicus existere non potest: eamque pro specie astronomiae, pro suprema philosophia habet. Magia medicum in morbis cognoscendis ducit. Ipsum sacrae bibliae studium sine magia kabbalaque haud aggredi possumus[2]) (quia Moses ipse omnesque omnium temporum gentiumque prophetae erant magi), cuique quidem multa insunt, quae sine auxilio harum scientiarum sola ingenii ope haud sunt cognoscendae. In qua magia kabbalaque, cui celeberrimi opinionibusque praeiudicatis liberi chemici fidebant, (inter multos Basilium Valentinum commemorem liceat) principium hoc est nixum:

6) Existere quandam concessam artem magicam, qua homini detur facultas daemones evocare, spectrorum fieri familiarem, ipsius diaboli, usumque eorum auxilio naturae imperare, elementa regere, omniumque rerum natura emendata hominis et corpus et ingenium corrigere. Hoc quoque Paracelsi opinio pertinet panaceam existere et inveniri posse universalem, hominis vitam in omnia aeva prolongantem, ingenium vero sagacius reddentem ad omnes res, ipsas occultissimas et gravissimas cognoscendas, qua iam Adam, cui omnes signaturae erant cognitae, vitam suam prolongavit, quamque revocare summum semper erat Paracelsi studium; et alchymia, sensu, quo „Goldmacherkunst" significat, non prorsus ab eo recusata, etsi fateamur oportet, quod in ea suo atque sequente tempore clarius viderit, cum in nonnullis locis contendet, metallorum in aurum metamorphosin haud posse fieri.

Commemorandum etiam est, plura Paracelsi principia philosophica, de quibus supra diximus, theoso-

1) Labyr. med. § 227.
2) de superst. pag. 293.

phis, quos dicunt, causam dedisse singularis cuiusdam famosi systematis philosophici excolendi [1]).

Iam vero ad kosmogeniam [2]) hominisque physiologiam transeamus. Dei voluntate, verbo illo „fiat!" signata, ex primo principio hyliastro mysterium magnum exstitit, cui quoque nomen tribuit matricis makrokosmi, limbi maioris, iliados, quod fuit prima materia, chaos antiquorum, cui tria inerant elementa. Ex qua quidem matrice makrokosmi, quam limbum maiorem appellare solet, etsi hoc verbo saepe primum signet principium, tumque hyliastro parem ponat, primum elementa excolebantur quatuor ex tribus elementis illis fundamentalibus S. S. M. existentia, aqua, terra, ignis, aër; prima tamen aqua, tumque processu quodam chemico putrescentiae simili terra. Tum ex quatuor illis elementis compositae res ceterae omnes excolebantur, quibus tria illa elementa primaria s. fundamentalia semper inesse apparet. In limbo majore ceterisque omnibus rebus dua distinguit principia, principium astrale, vitam, s. naturae ingenium (spiritum), vim illam formantem et conservantem et corpus s. principium materiale.

A caeteris omnibus rebus creatis **hominis creatio** [3]) differt, qui mikrokosmus, maior vir, minor femina, praestat ceteris omnibus rebus existentibus, sicut stellis atque animalibus. Dum haec enim ex elementis secundum Dei verbum excolebantur, Deus homini solo creando operam dedit, et ex quatuor elementis essentiam quintam extraheus, et ex astris essentiam, elementorumque quatuor essentiam cum astri essentia ad unam massam, limbum scilicet terrae coniungens, quibus omnibus adhuc spiritum divinum adspiravit. Tria igitur homini insunt, spiritus divinus, corpus, sidereum

1) cf. Corrodi Krit. Gesch. d. Chyliasmus.

2) cf. Phil. sag. Tom. II.

3) Phil. magn. L. 9. Astron. pract. p. 505.

corpusque elementarium; formatusque est secundum Dei imaginem. Solus est limbus minor, limbo oppositus maiori, qui deum mundumque continet[1]). Spiritu divino, vita yliastrica, anima omnibus bestiis homo praestat, ex qua nascitur hominis ratio, mundo imperandi facultas, aeternique et immortalis in homine principium; cum bestiis habet corpus sydericum sive spiritum vitae sive vitam eagastricam, astrum, q. e. principium vitae, vita vegetativa sive animalis, vitae flamma. Quae quamdiu homines primi in paradiso vivebant vitae yliastricae prorsus subiecta primo peccato atque e paradiso expulsione maiorem nanciscebatur vim. Principiis elementaribus S. S. M. opus est ad corpus formandum, spiritoque vitae ita coniunguntur, ut sint una natura, qua unitate seu morbo seu morte turbata, unum elementorum illorum potest apparere[2]).

Systema physiologiae Paracelsi temporibus prorsus non aderat. Ipse quidem Paracelsus principia nonnulla Physiologiae, quae commemorentur haud indigna posuit, e. g. hominis compositionem, iam a nobis allatam. Anatomiam vero contemnebat, scientiam illam, in qua tota nititur physiologia. Etsi enim aliquo loco dicat, Anatomiae locali (distinguit enim anatomiam localem, quae apud nostrates dicitur anatomia, anatomiamque universalem, dislocationem scilicet in tria illa elementa, quam valde commendat ob utilitatem pro morbis cognoscendis et curandis) valde esse studendum, nonnullaque pathologica in cadaveribus secandis consequentia commemoret, tamen in aliis locis anatomiae studio se opponens plane inutitem eam declarat[3]).

---

1) Par. lib. III c. 1. Merken wir Himel und Erde für eins, den Menschen für das andre.

2) cf. quae de eius pathologia dicuntur.

3) de podgr. p. 573.

Neque recte discipuli Paracelsum in anatomia peritissimum declaraverunt, dicentes eum sanguinis circulum iam bene novisse; quamquam diffiteri non possumus eum de sanguine saniorem habuisse opinionem aequalibus, quem in corpore vivo putrescere non posse credidit.

Haud indigna est, quam accuratius tractemus, theoria sua generationis. Femina, ut iam supra diximus, mikrokosmus est viro minor; ipse autem feminae uterus in mikrokosmo est mikrokosmus; femina igitur mikrokosmi matrix. Quoniam feminae longe praestat vir, illa etiam corporis ingeniique viribus atque facultatibus minus excellit, nonnisi dimidium est viri, pluribus morbis subiecta, quibus magis quoque viro succumbit; morbi faeminam necantes virum semper haud nisi dimidium necant [1]). Cui tamen feminae subiectioni illud est contrarium, quod in generatione ei parem necessitatem, pariaque tribuit iura. In generatione distinguit sperma [2]) atque semen viri, quorum est sperma nihil nisi excrementum, stercus, aliis corporis excrementis simile, renum secretum, ut mucus de cerebro, neque in testiculis paratur, sed iis modo educitur. Sperma nonnisi animale est involucrum ab homine adamitico paratum, vehiculum seminis, quod vere est generans, nec materiale sed speculatione, fortasse quintae essentiae modo, secernitur. Principium est astrale in seminis liquore atque ex liquore vitae nascitur in toto corpore diffuso, cui liquori fortasse prorsus est par. Animalibus semen illud vitaeque liquor deest, sperma tantum habent [3]). Semen inter voluptatem tantum paratur, quam vir sentit, phantasia

1) de cad. matr. p. 622.
2) de morb. ex tart. p. 406.
3) de generat. Tr. III. c. 3.

feminae adspectione excitata. Cum liquor vitae in toto corpore atque in singulari quoque organo excolatur, illorum organorum quinta est essentia, germen eorum continens, ita ut liquor vitae nasi, oculorum, manorum, pedumque etc. semen contineat, quod ipsum nasum atque oculos etc. paret, qua ratione etiam Paracelsus monstra declarat. Ubi membra desunt, organi semen in viro defuit; ubi duplicia sunt membra duplex erat semen. Distinguit quoque Paracelsus semen cagastricum atque Yliastricum, quorum illud corruptione, istud directe sine corruptione ex mysterio magno est natum, ubi semen cagastricum fortasse sperma est, semen vero Yliastricum verum semen, quod nostrati nominant auram seminis.

Sine femina generatio haud fieri potest, quia viri phantasia nonnisi dimidia est, solaque feminae phantasia adiuncta nasci quidquam potest. Semen vero femina ad generationem non affert, uterus ager tantum est, in quo semen collocatur, terra quasi, in qua seges ponitur. Ita Paracelsus, homo, inquit, nunquam ex ipsa matre fit, sed ex viro: in matrice vero ponitur. Cui verbo illud tamen est contrarium: Am ersten Merken, dass der Mann einen halben Samen hat und die Frau einen halben. Also die zween machen einen ganzen Samen. Seminis in uterum influentiam attractione declarat, dum uterus, cui vis inest attrahens, eadem ratione semen attrahit, qua ferrum a Magneto attrahitur. Infantis cum parentibus similitas, ut de viri semine, ita de feminae phantasia pendet, ut viri phantasia, semen generans, feminaeque inter coitum phantasia in infantis genus influant. Si feminae phantasia viri erat phantasia in conceptione maior, femineus fit foetus; alia ratione virilis. Si dua sunt principia prorsus paria, quod quidem rarum esse apparet, hermaphroditus existit, qui ambo interdum genera monstrat, plurimum vero neutrum. Partus duplices atque multiplices ex

illo declarat, quod uterus sive matrix semen non uno hausto, sed duobus vel pluribus attrahat, talemque feminae fertilitatem affert, ut viginti pluresque embryones eodem tempore possit concipere atque parere. Ipsam conceptionem haud declarans, dicit: was das sei, das den Menschen fabricirt, das sieht Niemand, das ist der Geist des Herrn an dem Orth [1]).

Foetus nutritio haud sanguine fit, qui alias menstruatione decernitur, quem sanguinem Paracelsus excrementum habet, venenosamque ei naturam ut aliis excrementis attribuit. Omnia corporis membra nutritionem attrahunt atque excrementa secernunt; tali ratione uterus etiam res attrahet, quibus ad nutritionem utitur, superflua vero atque venenosa, quae haud valet assimilare, est menstruatio. Embryonis nutritio lacte potius fit [2]), quod viis ignotis atque haud videndis ex mammis in uterum pervenit; nutritio omnis cibis excipiendis assimilandisque iis materiis, quae corpori sunt utilia, sic dictis essentiis, fit; noxia autem, quoniam cibo cuique insit venenum, excernuntur. Digestionem atque assimilationem, ut stomacho imprimis inest, Archaeus [3]), daemon quidam atque alchymista, quem pro spiritu vitae vel principio hominis astrali habeas nil impedit, cuique caput et manus pedesque ut homini, in quo inest attribuit, efficit, qui bona a malis secernit, cuiusque culpa est, si assimilatio turbatur. Sed praeter stomachum hunc principalem, cuique notum, cuique membro proprius quidam inest stomachus, in quo materiae exceptae organo aptantur atque superflua excernuntur.

---

1) de matr. p. 73. Cf. de generatione Less. Paracelsus, s. Leben u. Denken; Brem. de vita et opinion.

2) ibid. p. 74.

3) Param. I. p. XI.

Proclivitatem Paracelsi ad magiam et kabbalam etiam in physiologia invenimus. Ita partes omnes corporis humani cum stellis in harmonia sunt, e. g. cor cum sole, hepar cum Jove, Splen cum Saturno, bilis cum Marte etc. Multa etiam absurda insaniaque, quae in eius operibus invenimus, Bremerus in dissertatione attulit, ut de piscibus ex semine perdito ortis, de animalibus, quae per os concipiunt, de basiliscis, qui intuitu suo trucidant, de ciconiis putrefactis in serpentes mutatis, de insectis ex fimo equino calore solis evolutis, de infantibus (homunculis) ex semine virili in fimo equino fotis; quae omnia ex eius magiae studio sunt reducenda. Attamen, quamquam tales in eius operibus inveniuntur multi errores, non diffitendum est, Paracelsum, ut aliis scientiis, ita etiam physiologiae haud exiguos attulisse fructus, praesertim cum vitam omnibus in materiis quaereret, et cum illa principia philosophica, quorum iam supra mentionem fecimus, constitueret, quorum nonnulla etiam in physiologiam adhibita, magni in aeternum sunt pretii.

IV. Paracelsi de chemia merita.

Transeamus nunc ad ea, quae Paracelsus in chemia praestabat. Ante Paracelsum multi erant, qui huic scientiae operam dederunt, hisque rebus, quas invenerunt, gloriam sibi comparaverunt quam maximam, sed fere omnes omne in eo studium posuerunt, ut summum illud arcanum auri ex metallis aliis parandi aperirent. Quamquam autem nemo hac in re id, quod voluit, perfecit, omnesque conatus fuere inanes, tamen chemici doctissimi et excellentissimi, clariore cognitionis luce collustrati aetatis scholasticae nihil aliud petierunt, sic

uterque Hollandus [1]), pater et filius, sic Ripleius ex Britannia, sic Thomas Norton, qui lapidem sapientium nonnisi instinctu divino inveniri posse credebat, sic Basilius Valentinus, monachus, qui ad hanc rem coelestam significationem putabat necessariam, sic Trithemius de Sponheim, doctissimus ille monasterii praefectus, qui erat Paracelsi praeceptor. At non solum chemici, sed permulti etiam ex aliis ordinibus ista periculosissima auri ex metallis parandi cupiditate flagrabant, ita ut magistratus in nonnullis civitatibus poenas in hosce homines iam constituere deberent [2]). Apud multos viros, qui erant artis chemicae peritissimi eodem iam tempore studium reperiendi remedii universalis videmus, sed nonnulli hocce remedium in inveniendo arcano auri ex metallis parandi posuisse videbantur, quamobrem etiam lapidem philosophorum hanc panaceam universalem vocabant. Paracelsus ab omnibus suis aequalibus alchymista existimabatur gravissimus et multi celeberrimum illum virum artem auri efficiendi invenisse credebant [3]); quin etiam discipulorum suorum nonnulli se testes huius mutationis fuisse dicebant: Iniuria autem hocce Paracelso obiicitur, quamquam ex parte vituperandus est, quia superstitioni illius aetatis, quae usque ad praeterlapsum saeculum perduravit [4]) et ut, quominus litteras excolerent, impedivit, ita populi mores corrumpere minatus est, non omnibus ingenii sui viribus obsisteret. Ipsum enim eiusmodi mutationem effici non posse credidisse ex mul-

1) Gmelin: Geschichte der Chemie. S. 126: In quibus etiam historiis chemiae de Ripleio, Nortone, Valentino et Trithemio locutus est auctor.

2) Gmelin: Gesch. d. Chemie S. 125.

3) ibidem S. 221.

4) Saeculi praeteriti Alchymista satis notus fuit Iac. Price.

tis librorum locis elucet [1]). Paracelsus autem se populo, qui more consueto, medicum pro perito alchymista habebat, eiusque opinioni plane obstare non posse intellexit, itaque interdum aurum ex metallis parari posse contendit [2]). Mox autem ab Alchymia ad chemiam sese convertit et quidem omnia sua studia in inveniendis medicaminibus et praecipue in inveniendo universali remedio posuit. Quamquam hi quoque conatus erant inanes neque ullo eventu, tamen hacre accidit, ut ars chemica melius, quam adhuc tractaretur, et merito Paracelsum patrem hodiernae chemiae nominare possumus. Laudandus est quod doctrinam, quae antea salutem publicam in discrimen vocare videbatur, nunc utilissimam fecit. Dicit Alchymiam, quo verbo semper pro chemia utitur, eamque interdum Spagyriam [3]) vocat, „esse modum praeparandarum rerum medicinalium," pyrotechniam medicam, „die Kunst, die das Unnütze vom Nützlichen thut, und bringt's in seine letzte materiam und Wesen [4]). Quia vero Paracelsus chemiam ad praeparanda medicamina eorumque naturam cognoscendam atque exponendam necessariam esse intellexit, hanc omnium doctrinarum, quae formant artis medicae fundamentum, tertiam posuit, eosque valde vituperat medicos, qui huius sunt artis expertes. Sicuti autem alias litteras, ita quoque in systema non redegit chemiam, ex qua hoc loco, ante-

1) Phil. spagyr. T. I. „Et aurifici isti inane stramen triturant.

2) De nat. rer. § 99 transmutatio metallorum ist mitnichten wider die Natur, auch nicht wider Gottes Ordnung. Chir. magn. P. II. tract. I. c. 5, und wiewohl es der Natur nicht wider ist, so hat es doch viel Anstöss.

3) Ad. med. germ. vit: quando quidem ἐν τῷ σπᾶν καὶ ἀγείρειν, in extrahendo sive separando et congregando sive coagulando tota occupatur.

4) Labyr. med. c. 5.

quam ad singula transeamus, nonnullas rationes principales commemoremus liceat. Primum illud iam a nobis, cum de philosophia Paracelsi verba fecimus, allatum principium, obvium fit:

1) Omnia ex tribus elementis fundamentariis composita sunt, quod principium ex chemia sumtum, chemica ratione in exponenda natura et hominum et reliquarum rerum adhibebat[1]). Tria illa elementa erant S. S. M., eaque, ut iam supra monuimus, non mineralia illa erant, sed eorum proprietates astralicae. Quod ignem concipit. flammamque efficit, est sulphur (in plantis resina, in animalibus mumia), quod fumat mercurius (in plantis gotaronium, in animalibus realgar), quod restat, ut cinis, est sal (in pl. balsamus, in anim. tartarus). Tria haec elementa, in quae artis chemicae ope omnis materia solvi potest, in omni corpore non sunt eadem, sed semper varia, ita, ut aurum aliud sulphur quam argentum, hoc aliud quam plumbum etc. contineat. In omnibus rebus sulphur, quod ad fundamentariam suam rationem attinet, nihil aliud est, nisi materia, quae flammam facile concipit, sed in alia re alia ratione mutata est. Sicuti vita in corporibus diversis diversam se ostendit, et tamen eadem vis et facultas est, ita quoque elementa haec fundamentaria sunt habenda.

2) Rationem, qua omnes res chemice tractantur, purgantur et rectius constituuntur, ignis efficit, qui cum his, ut chemice mutentur et ad altiorem perfectionis gradum tollantur, sese coniungere debet. Qua ex causa e. g. aër nihil aliud est, quam aqua igni com-

---

1) Sulphur rubrum est in carne, sanguine et visceribus, flavum in adipe, medulla atque omnibus ossibus; sal viride in bile; mercurius gravis in carne, levis in pulmone, mediocris in ossibus; cf. Haller. bibl. med. pract.

imutata[1]). Quae ignis efficit, est alchymia. Ignis ex altera parte nova corpora praefert, ex altera omnes res ad prima elementa refert.

3) Ex quatuor illis elementis, quae iam apud veteres invenimus, coniungenda eorum perfectissima et purissima forma, rebus utilibus per Alchymiam ab inutilibus seiunctis, quinto elemento conformando studuit, quod quinta essentia vocatur et novis viribus est praeditum. Undique Paracelsus, vir ille ingeniosus, qualitatem a quantitate separat. Sic ex eius sententia aqua nec principium liquidi, nec liquidum ipsum est sed tantum impura imago cuiusvis fluidi; sic etiam ignis ei non est calor, sed aqua et ignis tantum sunt involucra principio astrali, fortasse ut sperma semini. Quod ignem conspicimus non est vis eius efficax, sed haec est invisibilis et quinta essentia ignis. Qua re etiam iam latentem ignem decernit ab alio[2]). Quam quintam essentiam, quam etiam pro pura illa specifica, efficace vi cuiusvis rei habet, sic conformare studet, ut res, quae corpori est peculiaris, adaugeatur atque intendatur; ita exempli gratia quintam essentiam vini[3]), quam alcohol vocat, congelatione, et alias eo modo efficere conatus est, ut ex mixturis naturalibus corpora minus efficacia a potentibus separet. Haec etiam in arcanis, magisteriis, specificis, tincturis etc. parandis eadem ratio ei est.

4) Accedit ad ea, quae supra commemorata sunt, ut Paracelsus quoque, ut multi alii, remedium universale, sic dictam panaceam universalem, quae hominum vitam usque ad infinitum elonget et ingenio novam vim tribuat, eamque conservet, invenire studuerit. Hac quamquam panacea universali paranda iam multi ante

1) Archidox T. III. S. 64.
2) Chir. magn. P. II. p. 70.
3) Archid. T. VII. p. 194.

eum operam dederunt, tamen Paracelsus primus fuit, qui eam neque more antiquiorum alchemystarum in auro solo, neque more Basilii Valentini in auro et stibio, sed in multis etiam aliis metallis quaesivit. Quaesivit eam Paracelsus in auro, hydrargyro, stibio, ferro, cupro, natro nitrico.

Cum Paracelsi chemia imprimis praeparationem medicaminum tractaret, eius etiam merita praecipue in materia médica in lucem prodeunt, ut omnia illa medicamina, de quibus ab eo inventis et adhibitis postea sermo erit, extemplo sint progressus chemiae habenda: Hoc loco singulas res etiam, quae pertinent ad chemiam, exponere liceat:

In metalla refert: aurum, argentum, cuprum, plumbum, ferrum, stannum; dubitat autem, an hydrargyrum sit metallum et quamquam aliis locis in illis numerat, aliis tamen locis contendit, hydrargyrum esse singularem naturae fructum, cuius vita sit calor internus et frigus externum. Sic de zinci natura nondum secum consentit, quamquam hocce metallum accuratius iis, qui antea vixerunt, cognovisse videtur. Aliud metallum esse quam reliqua dicit, sed ultimam eius materiam sibi nondum notam. Et alio loco dicit: Zincum, quod est et non est metallum [1]). Eadem ratione de bismutho, „metallo spurio, maxime cuprum continente." disputat. Porro quoque iam arsenicum in statu metallico novit [2]), docet enim: Darzu sollen ihr auch wissen, dass der Arsenicus von Künstlern in viel weg verendert wird und verkehrt, etwan in ein metallisch Arth: et alio loco: Als, nemmen arsenicum metallinum, der auff metallisch prepariert sey. — Markasitas nominat materias metallis similes, quae ex ad metallum formandum ineptis materiis compositae sunt. Sic stibium

1) cf. etliche Trakt. p. 455.
2) De rebus naturalibus p. 208, 215, 216.

plumbo simile est, sed nullo modo metallum. Tria salium genera proponit, sal, vitriolum, alumen, ad quae omnia reliqua salia referri possunt [1]). Differentiam inter alumen et vitriolum accuratius ita exponit: — der Vitriol nimb sein Corpus auss dem liquor der metallen — der Alaun aber hangt nichts in den metallen an, Sonder ist frey ein Saltz, das allein in der seüre steht, und nimbt sein Corpus nach der vermischung der erden, aber der Vitriol nicht, sondern allein von der vermischung der metallischen Corporen [2]). — Aquae regiae vim, quae facile metalla solvit, iam novit. Gmelinus dicit Paracelsum materiam inflammabilem Stahlii iam cognovisse, ex eadem notione et in sulfure et in metallis invenisse, eamque ad haec restituenda maxime necessariam putasse et in aliis alius naturae regni corporibus inflammabilibus vidisse. Multa etiam alia eum et invenisse et cognovisse in chemia descripsit Gmelinus [3]) in sua historia de chemia scripta; quae tamen omnia afferre non possumus, ne huiusce libelli ambitum latius extendamus.

V. Quae Paracelsus in arte medica praestabat.

Si Paracelsus tanta iam in litteris medicinae fundamentalibus praestitit, quanta eum praestitisse non possumus quin fateamur, qui tam insignes et praeclaras sententias opinionesque statuerit, quarum nonnulla in ingenii animique hominum cultum quam maximi fuisse

1) de morb. Mont. p. 655.
2) cf. ctl. Trakt. p. 449.
3) Gmelin. Gesch. d. Chemie. p. 105 et seq.

pretii constat: tamen eius de medicina ipsa merita maiora etiam fuere, quam non solum somno illo gravi, quo eam, a medicis tantum, qui temere et sine iudicio Galeni Arabumque auctoritatem et praecepta sequebantur, exercitam, tum tempore demersam videmus, sed novas ei etiam aperivit vias, in quibus ad maiorem progrediretur perfectionem, necesse erat. Sunt quidem omnium, qui de Paracelso scripserunt, perpauci tantum, qui ei haec merita non obtrectata tribuerunt; plerique eum omni merito indignum habent[1]; attamen illos multo minus in iudicio suo errasse putamus, quam hos. Ut nostrum de Paracelso iudicium, quo eum pro insigni reformatore medicinae habemus, conformemus, necesse est, nunc ad illa, quae in materia medica, pathologia et therapia praestabat, transeamus.

a) Materia medica.

Maximam vim habuit Paracelsi chemia in materia medica[2]. Medici aetatis suae, qui Galeni scholam professi sunt, permultis usi sunt fastidiosis et imbecillibus decoctis, infusis, syrupis etc., quae medicamina, ex multis diversis rebus mixta aegrotis saepe nimia in dosi praebuerunt. Quibus medicaminibus reiectis, alia utiliora atque efficaciora, quae chemica ratione erant praeparata induxit; immo etiam nonnulla imbecillia et inutilia, sicuti remedia ex gemmis, margaritis, ossibus leporum et cordibus etc. Adversarii eius merita eo mi-

---

1) Judicium H. Conringii de eo: Paracelsus est monstrum hominis, in perniciem omnis melioris conditionis natus, qui absurda, inaudita, perniciosa et summe impia dogmata in artem et philosophiam universam introduxit eumque omnem suis sordibus conspurcavit.

2) Alchimiae est magnalia dei parare, mysteria extrahere, Archana componere, purum ab impuro separare. Chir. magn. p. II. p. 29.

nuere conati sunt, ut obiicerent Paracelsum haecce medicamina ipsum non invenisse, sed ea à medicis et chemicis, qui antea vixissent, inventa accepisse. Maxime porro vituperaverunt, quod remedium illud universale invenire studeret, et recte sequelas hominibus et litteris postea excolendis obnoxias ostenderunt; multiplices porro eius discipulorum errores, ex praeceptoris disciplina prave intellecta exortos commemorant. Isti autem vituperatores omnino obliti sunt, sicuti singula ex medicaminibus ab illo in usum vocatis iam veterioribus chemicis nota fuisse, ita quoque horum nonnullos panaceam universalem invenire studuisse [1]), detrimenta ergo hac re provocata veterioribus chemicis addicenda esse. Ac forsan ex parte defendi potest Paracelsum panaceae universali studuisse, et saltem quodam modo probari, illum credidisse, panaceam posse parari. Putavit enim morbos diversos nil aliud, nisi diversa symptomata esse, quae corpus morbo affectum ostendant. Hancce corporis affectionem morbosam atque unicam et totam habuit, quae ergo de fundo uno medicamine symptomatibus maxime diversi indolis neglectis sanari et ad statum integrum referri possint. Paracelsum non nimis laudare eique merita, quae non habuit, adscribere volumus, qua ex causa negare non possumus, nonnulla medicamina, quae discipuli eius ei adscriberent, originis fuisse iam antiquioris [2]), ut illa ex stibio praeparata, quorum usum apud Basilium invenimus Valentinum. Sed contendimus quoque illum multis rebus inventis aut de novo in artem therapeuticam inductis, certissime iam ea de causa meritum haud parvum sibi comparasse, quia ea, quae iam antea aderant, a medi-

1) q. v. supra.

2) Quod iam Güntherus Andernacus commemorat; attamen eum laudat, qui artem chemicam primus illo saeculo in medicorum usum revocaverit.

cis autem sic dictis Galenicis reiecta, bona haberet et acciperet suisque in medicinam inducta sententiis, verbis et factis defenderet. Immo vituperandus est, quod omnia medicorum Galenicorum medicamina, nullis exceptis, reiecit, quamquam nonnulla de iis hac sorte indigna erant. Paracelsus autem sine dubio hodiernam materiam medicam fundavit, de qua in universum haecce dicere volumus:

1) Principia illa physiologico-chemico-philosophica, quae iam supra tractavimus etiam in sententiis eius de medicaminibus elucent; medicamina enim, quomodo in natura ante oculos nobis veniunt, sola integumenta sunt externa ex materia composita his rebus, quae sunt sine materia et effectum provocant [1]). Quam ob rem hancce substantiam efficacem excernere et ab invalidis rebus seiunctam solam conformare studet, quare quintam essentiam accepit. Paracelsus qui totam naturae vitam ex parte tam profunde intellexit, quintas essentias tantum e corporibus vivis trahi posse credit, itaque ex plantis viridibus, non exsiccatis; metalla porro, qui nunquam moriuntur, quintas essentias et quidem optimas porrigere. Sed in definienda quinta essentia errat, quum eius naturam colorem esse putet, eumque verum materiae elementum. Sic exempli gratia dicit, aurum, colore amisso, quintam essentiam amisisse [2]). Seiunctione harum materiarum efficacium validiora medicamina, quorum iam pauca grana maiorem eventum, quam complures unciae remedii medicorum Galenicorum adduxerunt, parare potuit [3]). Imprimis commemoranda

1) Chir. magn. p. I. tract. 11. C. I. „Die Artzney in ihr selbst mag niemant sehen, dann es ist ein unsichtbar ding, aber den leib der Artzney den sicht man."

2) Chir. magn. p. II. p. 83. „Die tinctur von dem Gold ist allein die Farbe dess Golds – das Corpus und farb sind zwey ding."

3) Jos. Quercet. in libro de ortu et causis metallorum hancobrem Paracelsum summis affert laudibus.

sunt valida eius extracta vegetabilia, essentiae, tincturae, elixiria, aliaeque compositiones. Verum profecto et uberrimum medicinae fructum attulit Paracelsus, cum medicamina ex mineralibus praeparata in materiam medicam induceret [1]), multaque ipse in usum vocaret atque probaret, quibus ante eum nemo uti ausus est, et quae posteriori etiam saeculo tam periculosa habebantur, ut magistratus quarumdam civitatum, medicis ipsis incitantibus, eorum usum prorsus interdicerent. Et non diffitendum est, illa etiam medicamina, a multis eius discipulis adhibita, perniciosissima fuisse aegrotis. Omnia medicamina praestantia et maxime efficacia „magnalia dei" vocavit Paracelsus.

2) Veram etiam illam et gravem proposuit Paracelsus sententiam, ex omnibus ipsis maxime venenosis materiis parari posse medicamina validissima [2]). Similem iam apud Basilium Valentinum invenimus opinionem. cum de stibio dicat: er ist Gift und die höchste Gifft mit, auch ist er ohne Gifft und die höchste Artzney mit [3])." Quocum Valentino etiam in aliis de stibio sententiis consentit, quod ut aurum, ita etiam hominem purgare uterque docuit.

3) Paracelsus sicuti vim efficacem auri aliorumque medicaminum in colore quaesivit, ita quoque ex aliis signis externis, quas ipse vocat signaturas, vim et efficaciam ad morbos curandos cognosci posse putavit [4]). Chelidonium cui flos est lutea, medicamentum praebet efficax in morbo ictero; orchideas ob testiculis similem radicis formam genitalium curare morbos putavit; pul-

---

1) cf. Gmel. Gesch. d. Chemie. p. 208.

2) Brem. dissert. de vit. et opinionibus Par: Paracelsus quoque haud dubie primus distincte docuit omne esse venenum et nihil venenum. Param. lib. II. c. 1.

3) Curr. triumph. Antim. nonn. loc.

4) Compl. loc.

monariam, cum sit levis, spongiosa et pulmonum formae similis, morbos sanare pulmonum; poma citrea cordi prodesse, cum iis sit forma cordis: ad quod accedit, quod colore solis sint praedita, aliud hoc argumentum sit habendum efficaciae in omnibus cuiusvis generis morbis cordis, cum cor quasi corporis sol a Paracelso habeatur; carduum, cuius caulis atque folia aculeis sint impleta, bonum in laterum dolorem et pleuritidem praebere remedium; taliaque multa. Itaque eum, qui et alia remedia magica tum usitata non recusaverit et phantasiae magnam in morbis curandis vim attribuerit, pro patre illius sectae sympatheticorum habeas licet, quae in seculo etiam decimo octavo asseclas habuit permultos, quorum solum Tenzelium commemoramus, famosum illum superstitiosumque auctorem libri cuiusdam satis noti: medicinae diastaticae.

4) Quamque terram Paracelsus putavit medicamina producere sufficientia ad morbos omnes curandos [1]. Itaque non necesse habuit remedia ex remotioribus locis ad nos allata praescribere, quibus quoque hoc incommodi insit, maximam partem esse adulterina.

5) Hoc etiam Paracelsi est praeceptum, quamquam alii hoc sibi meritum adscribere studuerunt medici, formulas medicas ex paucis tantum simplicibus medicaminibus esse componendas [2]. Cum enim medici galenici mixturas ex 50 pluribusque medicaminibus praeparaverint, eius formulae medicae, nonnullis tantum exceptis, maximam partem fuere simplices, et ipse medicos saepe vituperat, quod tales praescriberent mixturas et magis in pharmacopolarum quam in aegrotorum spectarent salutem. Quomodo enim fieri potest, ut mixturae, ex tam multis et diversis compositae remediis,

1) Chir. magn. p. III. p. 41. „Darumb wissend zu den Dingen wo die Krankheiten sind, da sind auch die Arzneyen."

2) Quod ei meritum etiam Bremerus adscribit.

quorum cuique alius sit in morbum effectus, aegrotum uno solo morbo affectum sanarent?

Sed his nonnullis generalibus principiis allatis iam videamus, quae fuere singula, quibus usus sit, medicamina. Primum et summum eius fuit Laudanum, cui vis mitigans et spasmos doloresque sedans inerat, cuius tamen compositionem, quam occultam habebat, nunquam satis cognitam habebant medici [1]. Hoc tantum de eo diiudicavere, opium fuisse substantiam eius efficacissimam. Paracelso illud etiam attribuendum est meritum, opium, quod aequales et ante eum medici habuerunt venenum, in materiam medicam induxisse; quo opio praecipue usus est ad epilepsiam vel morbum caducum superandum; interdum in compositione quadam cum arcano vitrioli, cui magnas etiam praestantesque tribuit vires in epilepsia sananda [2]. Tincturam auri, quam et oleum auri, aurum potabile, quintam auri essentiam vocat saepe pro aliis laudat, quacum morbos se ipsum dicit sanasse maxime desperatos et pro insanabilibus a medicis existimatos, scirrhum, epilepsiam, lepram, syphilidem, apoplexiam aliosque. Hydrargyrum iam a nonnullis medicis in externum vocatum usum et interne tantum purgandi causa adhibitum, specificum primus in lue venerea laudat, eiusque usum vulgavit commendavitque. Quod non pro exiguo habendum merito. Quibusnam hydrargyri prae-

---

1) Laudanum, quod aliqui lapidem philosophorum fuisse existimant, alii opium: sed utraque opinio est falsa. Fuit enim Laudanum Theophrasti medicina laudatissima, quae ex rebus, quas orbis habet, praestantissimis, quae vitam conservant conficitur; et in omnibus morbis, efficax est, practerquam in lepra. Ad. vit. med. germ. — „Opii laudani nomine veluti usu omnium oculos in se convertit.“ Haller bibl. med. pract.

2) Dicit etiam epilepsiam interdum ad homines vulneratos accedere; quibus, ut sanentur, liquorem vitrioli praebuit.

paratis usus sit iam certe recteque haud definiri potest [1]). Sed opinantur multi eum et mercurium praecipitatum rubrum et quemdam mercurium sublimatum s. corrosivum cognovisse, praecipitatum secundum Oporini descriptionem purgandi causa adhibuisse et quidem pro optimo purgandi remedio habuisse. Illos recte vituperat, qui per suffumigationes morbum venereum curare conati sunt [2]), cum mala, quae ex hac curandi ratione nascuntur sat cognita habuerit. Quorum malorum descriptionem in chirurgiae suae magnae libro de morbo gallico deposuit. Gmelinus eum dicit compositionibus quoque ex mercurio et stanno et mercurio praecipitato flavo usum esse, nec non iam mercurium sublimatum dulcem quemdam cognovisse aliaque mercurii praeparata, maximam partem secundum eum nominata [3]). Sulphure in nonnullis usus est morbis sed praecipue in omnibus inflammationibus et ratione prophylactica in peste, in qua flores sulphuris cum Aloë, Myrrha et Croco mixtas et compositas commendavit. Quod ad ferri praeparata, cognovit Paracelsus Crocum Martis et tincturas quasdam ex ferro praeparatas. Pro insigni declarat medicamine Cuprum, cuius iam effectus vomifici mentionem facit, idque, cum stomachum non afficiat, pro optimo habet in omnibus ventriculi morbis remedio. Praeparatum, quo usus est, fuit cuprum sulfuricum, quod etiam in morbo caduco praesertim matricis et ad vermes expellendos adhibuit. Zincum dicit esse remedium non pro nihilo habendum in omnibus cerebri affectionibus. Antimonio quoque magnum effectum magnasque vires adscribit, idque,

---

1) In fascic. dissert. med. select. quam ed Th. Zwingerus, Arcanum corallinum commemoratur praeparatum Paracelsi c Mercurio fixato; P. 267.

2) Chir. magn. p. III. p. 8.

3) cf. Gmelin, Gesch. d. Chemie. p. 340.

ut iam monuimus et aurum et corpus humanum purgare ducit [1]). Saepe essentiam antimonii commemorat et praeparatum illud, quod non recte vocavere mercurium vitae, cuius iam Basilius Valentinus mentionem facit. Arsenici usum externum medicis commendat praecipue efficacem et salutarem in scirrho; usum internum vetat [2]). Formulas, in quibus praebendum sit arsenicum, praescripsit: solutionem in alcohole seu spiritu vini, unguentum, quod ex arsenico, adipe suilla, oleo, terebinthina seu ex arsenico et melle mixtum voluit. Interdum arsenicum et nitrum ana conflavit, (arsenicum fixum), quod aëre liquidum factum, (liquor arsenici fixi), spiritu vini vel alcohole miscuit [3]). Nitrum ab eo in pellendis renum calculis magni aestimatur [4]). Ad deliria mitiganda, furores leniendos, sanguinem tumultuantem ac spirituum animalium turgescentiam compescendam quoque valet. Ita Paracelsus nitrum cum aceto rosaceo ac succo sempervivi mixtum tepideque applicatum in omnibus inflammationibus ad demulgendum calorem et narcosin aliquam inferendam commendat. Ex oleo terebinthino unguentis et emplastris in peste usus est [5]). Virtutes thermarum bene novit ipseque tales perfecit, praecipue balnea ex solutione salis et ex ramento ferri parata; sic etiam balnea vaporaria commemorat. Venae sectionis, quamquam eam interdum necessariam ducit, abusum saepe vituperat, adversarius pathologiae humoralis, quae ubique fere ve-

---

1) Chir. magn. p. II. p. 86.

2) „Inwendig ist er nit zu gebrauchen, in kein weg, allein auswendig.

3) Cfer. Gmelinus.

4) Zwingeri fasc. diss. med. select. p. 201. et p. 205.

5) Sed etiam ad vulnera deliganda; Chir. magn. mult. loc.

naesectionem instituendam esse iussit. Purgantiis maximam partem chemica ratione praeparatis usus est, praecipue, quod iam commemoravimus, mercurio praecipitato rubro[1]. Putavit pro quoque organo purgando alio et proprio semper opus esse medicamine. Sed et exceptis his nunc nominatis, alia multa cognovit et adhibuit medicamenta ut helleborum[2] album ad vermes expellendos, moschum, camphoram, colocynthides, aliaque.

Restat, antequam ad Paracelsi opiniones pathologicas progredimur, magnetismi mentionem facere, quem in nonnullis morbis efficacem et utilem invenit, e. g. in omnibus haemorrhagiis, diarrhoea, epilepsia, hysteria et illis in morbis, qui a centro in circulum dilatant[3].

b) Pathologia.

Pathologia Paracelsi, quod ad descriptionem singularium morborum haud magni est momenti, cum, quod iam supra attulimus, omnes morbos pro symptomatibus tantum unius corporis affectionis morbosae habuerit et in his describendis negligentiorem se praebuerit, quam probari possit. Itaque de nonnullis tantum loquamur liceat opinionibus in universum spectantibus, quibuscum, quae de febribus senserit, coniungamus.

Morbum Paracelsus depingit ut individuum in individuo, alium quasi hominem, cui etiam membra et organa attribuit[4]. Eius naturam atque essentiam in commutatione quadam illorum trium elementorum quae-

---

1) Attamen eum non amicum fuisse methodi purgativae ex permultis elucet locis operum eius.

2) De Helleboro libellum scripsit.

3) Qua de re Lessingius accuratius disseruit.

4) de morb. podagr. lib. II.

rit, in quibus etiam tota eius nititur doctrina pathologica. Haec si tria elementa illam nobis mutuam relationem conservatam, et illam, quae necessaria est, harmoniam non perturbatam praebent, ut corpus unum totum, quasi productum illorum trium, non autem elementa singula, quasi factores, cognoscas, integra adest sanitas et bona valetudo; attamen si illa harmonia et mutua relatio quadam ratione perturbata resolutaque videtur, ut alterum horum elementorum maiorem nanciscatur vim vel quodammodo affectum se praebeat et hancce triunitatem solvat, statum, qui hac re provocatur, aegritudinem vel morbum nominat. Reactione corporis s. vitae. s. elementorum ceterorum in aegrotatum commutatumque elementum sanitas sive bona valetudo denuo fit; reactione non sufficiente vel prorsus deficiente mors hominem intrat. Illius opinionis, mortem esse a deo praedestinatam, ille insignis disputator nullo modo amicus [1]), sed mortem tantum per se necessariam habet, quam tamen medici, si bonis utantur remediis, in nonnullum tempus differre et procrastinare possunt. Morbos, qui sedem praecipue in sulphure obtinent, et ex eo originem ducunt pro morbis habet organorum internorum, morbos ex sale et mercurio ortos pro talibus, qui in externis organis in lucem prodeant [2]). Ex sulphure plerasque febres ortas putat [3]), pestem ipsam, ad quam tamen procreandam necesse est adsit quaedam influentia astrorum, praecipue Saturni. Itaque cum pestis natura et essentia in alienato quaerenda sit sulphure, et illud, quod pestis praecipue in tribus corporis locis in lucem prodeat, in regione subaxillari, inguinali et post aures ita ex-

1) cfr. de longa vita p. 830.

2) von den drey ersten Essenzen S. 324.

3) Fragm. med. p. 134.

plicare studet, ut tria sint sulphuris genera. Alii. quorum et causa et natura in sulphure sita est, morbi sunt icterus, hemicrania aliique. Mercurium et in corpore vivo dicit calore sublimari, destillari et praecipitari; ex eo si sublimetur paralyses mortemque subitam exoriri, si destilletur maniam, si praecipitetur arthritidem et alios articulorum morbos. Sal in corpore aegrotato quadruplex adesse posse statuit, resolutum, qui efficiat pruritidem, lichenes impetiginesque, calcinatum, reverberatum et alkalisatum.

Iustam morborum classificationem non invenimus; attamen dividit morbos in adnatos vel hereditarios et acquisitos. Iis ex semine hereditario (semine yliastrico) ortis adnumerat icterum, podagram, hydropem; ex corruptione (semine cagastrico) ortis pleurosin, pestilentiam, febrem. Morborum connatorum duae sunt species, qui a patre (limbo) oriuntur et qui a matre, (matrice) oriuntur. Dividit quoque morbos in materiales et spirituales, in quo tamen notandum est, omnes materiales fieri, quia spiritu laborante etiam afficiatur corpus. Alia ei est in chronicos et acutos morborum divisio, et quinque statuit causas, quas ipse mominat entia morborum. Haec sunt entia, ens astri, ens veneni, ens naturale, ens spiritnale, ens deale; et quemque morbum hac ex causa putat esse quintuplicem, cum ex quaque causa vel ente exoriri possit. Morbi ex quatuor primis entibus orti sunt naturales, ex quinto autem a deo irato flagellae nobis pro vitiis peccatisque admissae [1]). Ens astrale non immediate corpora nostra laedit, sed aëre corrupto et quibusdam materiis infecto et impleto morbos progenit, ut nonnulla astra aërem sulphuratum, alia arsenicatum, alia salsum, alia mercuriatum reddant. Ens veneni est materia alimen-

1) Paramir. lib. I. c. III.

taria ex qua utilia vel essentiam ab nocivis vel veneno separare Archaei est. Qui Archaeus si laborat fit digestio putrida, seu localiter in ventriculo cuiusvis partis seu emunctorialiter in excretione, cum essentia a veneno non separetur et venenum in corpore relictum atque acceptum morbum efficiat. Quod ad ens naturale hominem putat, cum sit makrokosmo similis et quasi imitatio vel simulacrum makrokosmi, sua etiam habere astra, quae sunt septem magna membra, quibus quisque homo praeditus est [1]. Haec membra cursum regularem perficiunt, in suo quodque loco; si igitur cursus cuiusdam membri impeditus vel turbatus est, morbus exoritur ex ente naturali. Ens spirituale illos provocat morbos, qui ex animo nostro vel phantasia fiunt. Ens dei vel quinta morborum causa est praedestinatio dei. Ex ea imprimis pestis exoritur, quam tamen et alias causas, ut omnes reliqui morbi, habere posse ex Paracelsi tractatu de peste plane elucet. Multi et ipse Lessingius eum vituperant, dicentes eum sibi ipsi repugnare, cum nunc pestin flagellum a deo nobis velit inflixum et alio loco alias pestis commemoret causas. Quod tamen nullo modo contradictio, cum omnes morbos ex omnibus iam allatis morborum causis exoriri posse dicat. Dicit quidem pestin ex coelo primam sumsisse originem, quod tamen non impedit, quominus illa, quae primum flagellum tantum fuit, postea ex aliis etiam oriatur causis.

Digna est, quae accuratius tractetur, cum magnas in tota Paracelsi pathologia agat partes, doctrina de tartaro, quem antiquiores medici maximam partem bi-

1) Haec septem magna membra sunt: cerebrum, cor. pulmones, fel, hepar, renes, lien, quae cum his in harmonia sunt sideribus, Luna, Sole, Mercurio, Marte Iove, Venere, Saturno.

lem nominant nigram, recentiores infarctum. Est enim tartarus [1]), qui aeque atque ignis infernalis urit, unde etiam nomen derivatum est, materia quaedam, nunc statum provocans, quem vix morbum nomines, nunc periculosissimi ipsius morbi causa, ut mortem repentinam adducere possit. Videtur tartarus entis venenis species vel prorsus idem. Tartarus in homine oritur, si digestione separatio puri ab impuro non rite progreditur et hac digestione et assimilatione mutata et perturbata in liquoribus corporis, imprimis in sanguine quaedam mucosa et terrosa, salibus terrosis impleta materia colligitur, quae interdum, naturae vi in morbum reagendi tam mite, ut morbus non in lucem prodeat, interdum autem motibus et vehementissimis et gravissimis excernitur. Ex eo omnes morbos ducit, qui ex crasso sanguine, ex rigore partium solidarum et ex collectis terrosis materiis oriuntur, praecipue morbos hepatis [2]), arthritidem et calculos vesicae, renum, intestinorum, fellis, aliorumque organorum. Hic tartarus, uti ille ex vino, sic ex liquoribus corporis humani sublimatur et excernitur. Quum digestio iam in ore incipiat, in ore quoque excernitur tartarus dentibusque insidet; sed imprimis in ventriculo sublimatur, et quidem Archaeo fortiori vel leges certas naturae non servante et vehementissime essentiam discernente, acerbissimos gravissimosque commovet motus doloresque [3]).

Qui tartarus, quamdiu nondum coagulatus sed in prima materia adest, haereditarius est, ut ex parentibus in infantes transeat [4]). In actu coitus enim non solum

1) Par. Von tartarischen Krankheiten.

2) V. tart. Krankh. p. 299.

3) de morb. tart. p. 302.

4) ibidem p. 292.

sperma et semen expelluntur, sed etiam omnis prima materia sanitatis atque morborum, quam attrahit uterus feminae; in utero dein cum nutrimento tartarum accipit foetus et ita propagantur in infante proprietates seminis humani [1]). At, si tartarus iam prorsus sublimatus et coagulatus est, ut arthritide, calculis renum, infarcto laborent parentes in infantes haeriditate non transmittitur. Uti feminae morbis pluribus quam viri subiectae sunt, quia iis cura novos fructus procreandi incumbit, et quia uterus ut mikrokosmus in mikrokosmo multas efficit molestias particulares, ita quoque tartaro magis laborant, quia praeter suum tartarum etiam virorum in coitu attrahunt [2]). Tartarum ex urinae sedimento cognoscas licet, attamen non uroscopia, sed disquisitione potius chemica [3]), quam pro uroscopia medicis saepius commendat. Species quaedam tartari nitrum est, cuius idcirco mentionem facimus, quod secundum Paracelsum maximam partem in nitro febrium posita sit causa. Est enim febris morbus nitri accensi ex putredine materiarum in corpore humano collectarum orti, quod nitrum, cum ex corpore discedere velit, motus nitri vel paroxysmos excitat. Quod ad paroxysmos distinguit febres intermittentes et continuas; sed semper, si verbo solo febre, nullo alio adiecto, utitur, febrem intermittentem in sensu habet. Febres intermittentes sunt quotidianae, tertianae et quartanae et ex hepate, liene, renibus, oppilatione, quae poros et naturales vias excretionis adstringit, praesertim oppilatione venarum q. e. vasorum sanguiniferorum oritur, in quo et hoc monendum est febres quartanas ex liene praesertim oriri [4]). In paroxysmo nitrum vel tartarus putrefactus

1) ibidem p. 294.
2) ibidem p. 292.
3) ibidem p. 304.
4) Chir. magn. p. II. p. 8.

tremorem membrorum et calorem efficiens sibi viam quaerit urina et sudore ex corpore excedendi, quae ita sunt excretiones criticae. Commemorandum est, eum stadium ex initio usque ad finem morbi crisin, primum autem huius stadii diem, diem causae, supremum diem creticum vocare. Quos dies criticos statuit Hippocrates, non cognovisse videtur. Paroxysmorum irregularitates et varietates typicas, quae typus anteponens et postponens praebet, ex eo ducit, quod materiae putrefactae diversa genera adsint, quae non omnes semper vias et exitus clusos teneant. Febres continuas dividit in duo genera, quae sunt carbunculus et flammula, quorum flammulae species sunt synanche et causon, carbunculi anthrax, pestis, saphyrus et phlegmone.

Morborum indicia urinam, sudorem et pulsum accuratius tractat Paracelsus. Sedimentum urinae alcolam vocat, cuius species diversae sunt: hypostasis, ex qua morbum in stomacho sedem tenere cognoscitur: divulsio, quae ad morbos hepatis, et: sedimen, quod ad morbos renum spectat. Per urinam sal resolutum excernitur, per anum sulphur sublimatum; sudor, qui poris vel emunctoriis secernitur, habet naturam sulphuris, ut, qui auribus excernatur, sit sulphur arsenicale vel marcasitum, qui genitalibus sulphur stibiatum, qui mammis sulphur arsenicatum. Pulsus in corpore sunt septem, duo in extremitatibus, duo in collo, duo in temporibus, unus, pulsus solis, in corde.

Commemorandum etiam est, Paracelsum, quamquam „humores" nullo modo esse morborum causas vult[1]), totamque suam pathologiam in elementis illis

1) Chir. magn. p. II. p. 7. 8: p. 15. 16. p. 27 et. mult. al loc.

tribus commutatis ponit, tamen nonnunquam morbos ex humoribus ortos [1]) describit.

c. Therapia.

Haud dubie Paracelsus de therapia quam de pathologia graviores sententias et utiliores proposuit, et concesso, eius therapiam specialem, quam describere aeque ac pathologiam specialem nisi modum ac terminos excedam, mihi non licet, continere multa falsa ac trita, neque comparari posse cum ea, qua nunc utimur therapia, tamen non est, cur negemus, illam fuisse excellentem, accomodatam ei, qui tum erat, litterarum statui, et id sano Paracelsi ingenio et novorum et egregiorum medicaminum multitudine, quorum naturam, quamquam primus pleraque eorum in medicaminum numero habuerat, tamen satis perspicue cognoscebat, aliter fieri non potuisse. Therapia igitur eius generaliter est referta multitudine et sententiarum gravium ingeniosarumque et observationum rararum, quo factum est, ut multi posterioris aetatis medici, intellectis eius gravibus opinionibus, nonnulla, quae Paracelsus primus statuit praecepta quasi fundamentum novorum systematum adhibuerint. Neque porro negari potest, Paracelsum, medicinam aeque atque omnes ceteras litteras e cognoscenda natura [2]) hauriendam esse ratum, fuisse gravissimum in colendis ac celebrandis litteris medicis. Attamen non diffitendum est omnia illa, quae supra, cum de eius philosophia locuti simus, attulimus vitia, etiam in libris, quos de morbis eorumque cura scripsit inveniri.

---

1) humores ipsius pestis affert quodam loco causas.

2) Chir. magn. p. II. p. 35. 36. Naturam praeceptorem primum et summum esse medici dicit.

Paracelsum fuisse medicum excellentissimum et experientissimum cognoscitur ex egregiis operum sententiis; multisque eum morbis sanationem attulisse ipse Hallerus [1]), ceterum eius neque assecla, neque iustus aestimator concedit. Celebritas famae eius erat tanta, ut aegroti e terris ipsis remotissimis ad eum accederent sanationis causa, ut saepissime arcesseretur ad consulendum quasi esse extremum aegrotis solamen, et ut ipse doctissimus Erasmus laborans calculis renum per litteras ex eo petiisset, ut sibi medelam afferret; qui etiam Erasmus laudibus quam maximis eum saepius affecit. Notissima est eius curatio apud Frobenium, amicum amicissimum, quem iam desertum ab omnibus medicis, amputatione sola femoris servari posse existimantibus, eo reficiebat, ut iter in Francogalliam equo subire posset. Attamen fuere, qui eius methodum curandi ac medendi valde perniciosam dicerent, et qui igitur ex illa Frobenii sanatione, qui anno vertente frigoris iniuria, quam contemtis Paracelsi admonitionibus sibi paraverat, mortuus erat, ansam conviciandi hauriendam esse putarent. Erastus [2]), unus ex inimicis gravissimis, quamquam ut elucet ex quibusdam locis in disputationibus de nova medicina Paracelsi, quodammodo assentiens principiis chemicis per Paracelsum medicinae allatis, conatus est, allatis exemplis demonstrare, nullum aegrotorum, quos Paracelsus sanaverit plus anno fuisse superstitem, causam ratus ducendam esse ex medicaminibus tantis et fortibus, et ex horum medicaminum qualitate veneno infecta.

Merita eius maxima de therapia eo sine dubio constant, ut therapiam totam, ut omnes ceteras medi-

---

1) Haller. Bibl. med. pract. p. CCXLVIII.

2) Erast. disput. de nova Par. med. T. 10. nonnullis locis.

cinae litteras et philosophiam in natura cognoscenda esse sitam demonstraret. Sententiae eius de natura morbi et quomodo causa morbi in elementis sit quaerenda, iam supra, cum diximus de pathologia, allatae sunt. Pro sententiis pathologicis sensit de arte therapeutica. Qui cum vim salutarem naturae rem gravissimam in arte therapeutica esse atque sanum contra insanum impetum facere dicat, recta via atque ratione utitur morborum curandorum, naturae studiis iuvantibus. Itaque Lessingius [1]) totam Paracelsi therapiam nisam esse doctrina morborum et natura et arte curandorum dicit. Cura si progreditur vita ipsa vel Archaeo illam vitam secundariam vel morbum superante et ex corpore expellente, haec cura, cum perficiatur vi salutari naturae, persaepe omnes morbos prorsus curante, naturalis est; si autem haec naturae vis medendi aut non sufficit ad morbos superandos curandosque, aut ipsa a morbo prorsus superatur, necesse est, medicus naturam adiuvans eiusque vim acuens et confirmans morbum ex corpore emoveat, quae curandi ratio artificialis est. Quoad illa naturae reactio bonam restituere valetudinem studet et conatur, medicus nonnisi minister habendus est naturae sive sanitatis, sanam corporis in morbum reactionem gubernans vel moderans; si vero naturae iam nulla fere inest vis medendi, medicus magister est naturae sive morborum, suamque nunc artem adhibeat necesse est, ut arte morbi sanentur. Attamen arte tantum conetur oportet medicus bonam aegroto valetudinem tali modo restituere, ut, quod in corpore restat sano usus, talem semper efficiat statum sanitatis progredientis, qualem natura ipsa, si quidem satis valida esset, effecisset. Et recte Lessingius Paracelsi medendi methodum nominat: eine mittelbare, d. h. eine durch Kunst her-

1) Less. p. 132. et seq.

vorgebrachte Vermittelung der Heilung durch die in jedem kranken Organismus noch vorhandene Gesundheit. Qua in re etiam summus inter antiquiorum et Paracelsi medicinam dissensus quaerendus, cum veteres contra morbos ipsos curam directam medicaminibus statuerint.

Hanc naturae vim medendi etiam in morbis, qui ad chirurgiam spectant, maximi momenti esse ducebat [1]. In corpore humano balsamum inest humanum, qui omnia curat vulnera, ita, ut balsamum, qui ossibus inest, fracturas, qui carni vulnera carnis etc. sanet. Itaque cum haec curatio balsamo perficiatur, chirurgi est, vim huius balsami conservare et cavere, ne externa momenta aliquid detrimenti afferant. Quod ad efficiendum necesse est vulnera obliget. Si vero naturae hoc balsamum non satis efficax et validum est, ei nutrimenta, quae vel per os, vel per vulnus accipiat aegrotus, praebenda sunt, quibus naturae vis medendi augeatur. Docet etiam Paracelsus chirurgiam esse medicinae coniungendam, ut chirurgi medicinae non sint imperiti, cum saepius morbi interni his externis coniuncti sint. Vi naturae salubri confidens, chirurgiam incisoriam non necessariam habet, nisi ad calculos vesicae exsecandos (lithotomiam), et persaepe cultro et ipsis cauteriis abstinendum esse docet.

Maxime eo medicina progrediebatur, ut ille primus omnium sine ulla exceptione sanabiles omnes morbos duceret, quo vigor recens atque integra ad medicinam artem accedebat ac studia inaudita inter medicos excitabantur. Iniuste Paracelso convicium fecerunt, sese sibi repugnasse et modo morbos omnes sanabiles du-

---

1) Chirurg. magna P. I. Cap. 2.

xisse, modo aliis locis de insanabilibus morbis dixisse[1]); quicum, ut iam Lessingius recte dicit, sub morbis insanabilibus eos intellectos, quos, quamquam iis ipsis medelam existere necesse est, tamen nondum sanare scimus, velit. Hoc enim tempore iam nemo negabit, morbos per se insanabiles non existere, tam quidem diu quam reactio naturae in morbum adest. Reactione hac prorsus deficiente morbus ipse levissimus in lethalem exitum desinere potest, cuius iam sententiae Paracelsus particeps fuisse videtur.

Non iniuste Paracelso convicium fecere adversarii, quod diaetam in morbis curandis tam saepe neglexerit. Quamquam enim non diffiteri possumus, eum interdum diaetae mentionem facere necessariae ad homines restituendos, tamen plerumque viribus facultatibusque remediorum suorum confisus diaetam prorsus nihili habet, dicens: „der in Diät handelt, ist schwach in der kunst, vergisst dasz Dreck drausz wird[2]); et alio loco: die recht kur liegt allein in der Medicin und nicht im Essen.

Quod ad opprobrium illud, quod multi obiecere, Paracelsum ipsum fuisse empiricum rudem et empiriam perniciosissimam in medicinam attulisse[3]), hoc non aeque atque illud prius commemoratum iustum recteque compositum videtur, nostraque est opinio, eum prorsus non esse vituperandum, cum eius potius fuerit officium in illis maxime desperatis morbis, in quibus maximam partem consultatus est, et quos medicaminibus illius

---

1) Pro morbo insanabali videtur lepram habere, eiusque species. „Qui hos curare vult morbos, ne quaerat in natura remedia, sed in coelo. Ibi enim haec potestas sita est.“

2) de Hydrope. p. 552.

3) ut Gmelinus, Sprengelius aliique.

temporis usitatis tam levibus et invalidis non sanari posse galenici ipsi medici confessi sunt, medicamina chemica fortiora a se inventa et, quod ad qualitates, disquisita et explorata adhibere eorumque vim probare. Nostris ipsis temporibus, quibus iam tanta validorum et efficacium medicaminum copia adhibita et explorata est, medici, ipsi maxime cauti providique, ne dicamus timidi, si morbus pertinacissimus illis medicaminibus satis cognitis non cedere velit, alia nondum probata lubentissimo accipiunt animo remedia; quos medicos nullo modo vituperare conamur. Usque dum enim ars medica non prorsus perfectam et absolutam se nobis praebeat, eousque empiria quaedam floreat necesse est ad excolendam artem. Nullius autem putamus magis fuisse quam Paracelsi empiriam adhibere et novas, ut ita dicamus, ingredi vias, qui tam plane et perspicue habuit naturam cognitam. Fuit enim, si verum illud, quod saepissime affirmat, medicum nasci[1]), profecto talis medicus natus et a natura designatus. Et pro eo non tam rudem et impium eum empiriam adhibuisse, ut inimici eius voluere, iam probitatem illam s. virtutem, quam quartam posuit medicinae basin et sine qua medicum existere non posse putabat, habemus testem certiorem. Alii nobis sunt testes loci ex scriptis eius, in quibus medicum ex praxi nasci et illa quae praxis probata reddit accipere oportere docet.

Recentioris temporis medici Paracelsi opera perscrutati et hoc contenderunt, principia illa homöopathiae, a Hahnemanno saeculi praeteriti docto medico in systema quoddam reducta et composita, iam apud Para-

---

1) Chir. magn. p. II. p. 24: Also ist der Arzt geschaffen, dasz er geboren wirdt, so werden ihnen Künst genug und findet alle Tage was not ist, also ist der ursprung eines Artzet.

celsum esse invenienda; cuius quoque rei veritatem nonnulli ex eius scriptis loci affirmant, e. g.: Was Geelsucht macht heilt auch die Geelsucht, aliique. Qua de re Schulzius in suo libro: die homöobiotische Medicin des Theophrastus Paracelsus in ihrem Gegensatz gegen die Medicin der Alten, als Wendepunkt für die Entwickelung der neueren medicinischen Systeme und als Quell der Homöopathie, accuratius disseruit. Cfr. etiam Bremeri dissertatio, qui tamen vituperandus, cum illas tantum relationes intra Hahnemannum et Paracelsum afferat, quasi locos aptos, ad utrumque virum invectionibus accumulandum.

Ad ea omnia si respicimus, quae Paracelsi praecepta opinionesque et sententias in hoc libello explicavimus, admiratione summa afficimur in hunc virum ingeniosum, qui temporibus tam obscuris omnibusque superstitionibus impletis, in quibus omnes litterarum disciplinas in formulis vanis et obsoletis involutas videmus, tam magna et praeclara sensit et docuit, posterisque largiorem reliquit segetem ad fructus perducendos et colligendos, quam plerique qui ante eum vixerunt medici et philosophi. Et talem in virum aequales et posteri maledicta congessere, eumque, virtutes in vitia convertentes, hominem perditissimum habuere et descripsere, ut quasi monstrum hominis patriae sit dedecori! Cui patriae fuit summo honori!

THESES.

1. Nullus morbus est insanabilis.

1. Naturae reactionem ad morbum quemque superandum sufficere recte Paracelsus censuit.

3. Curam radicalem semper causalem esse oportet.

4. Paracelsus, cum remediis usus sit magicis, non est vituperandus.

5. Kali hydriodicum omnium, quae recentiori tempore in syphilidem in usum vocata sunt, remediorum praestantissimum est.

6. Errant, qui syphilidem ex America ad nos translatam esse putant.

7. Medicamina prophylactica non reiicienda sunt.

8. Hahnemannus et ab iis, qui eius systematis non sunt asseclae, tamen est honorandus propter merita, quibus arti medicae profuit.

VITA.

Natus sum Fredericus, Michaelis, Rudolphus Chrzesciński fidei addictus evangelicae anno h. s. undevigesimo Lyccis, oppido in Borussia orientali sito, patre Michaele, matre Augusta e gente Wollner, quos ut mihi Deus Opt. Max. vigentes adhuc florentesque per longam annorum seriem conservet, opto precorque. Primis litterarum elementis in schola quadam privata imbutus, gymnasium petii Lyccense, quod tum sub auspiciis directoris illustrissimi Dr. Rosenheyn floruit. Testimonio maturitatis instructus nec non ordine quodam pro puero undis erepto donatus h. s. anno trigintesimo nono almam litterarum universitatem adii Regiomontanam, et ab Ill. Drumann t. t. fasces academicas tenente inter cives academicos receptus apud Ill. Seerig t. t. ordinis gratiosi medicorum decanum maxime spectabilem nomen dedi. Hisque interfui lectionibus per tria semestra:

Ill. Burdach de physiologia corporis humani; Cel. Burdach de anatomia, myologia et neurologia: cuius etiam interfui repetitorio de anatomia. Exp. Burow de osteologia et syndesmologia, nec non de medicina forensi. Ill. Dulk de chemia. Exp. Grube de zoologia, Ill. Meyer de botanice generali et speciali. Dux mihi etiam exstitit in excursionibus botanicis. Ill. Rathke de zoologia, splanchnologia et angiologia. Ill. Rosenkranz de encyclopaedia philosophica, de logice et de methaphysica. Ill. Sachs de methodologia medica.

Per semestrum in medicamentorum officina Lyccensi conversus, me anno h. s. quadragesimo primo universitatem contuli Viadrinam et ab Ill. Hahn t. t. rectore magnifico in numerum civium academicorum receptus apud Ill. Henschel


t. t. gratiosi medicorum ordinis decanum maxime spectabilem nomen rite professus sum. His per septem semestra interfui scholis:

Ill. Benedict de chirurgia generali ac speciali, de ophthalmiatrice, de fasciis rite applicandis, de instrumentis chirurgicis, nec non examinibus de gravioribus chirurgiae capitibus. Eodem duce operationes chirurgicas in cadaveribus institui. Ill. Betschler de gynaecologia, arte obstetricia et de operationibus obstetriciis. Cel. Burchard de operationibus obstetriciis. Ill. de Glocker de mineralogia. Ill. Goeppert de materia medica. Ill. Henschel de pathologia generali. Ill. Klose de politia medica. Ill. Otto de anatomia comparativa et de historia foetus. Ill. Pohl de physice experimentali. Ill. Remer de methodo formulas medicas concinnandi et de therapia speciali. Cel. Remer de syphilitide. Ill. Thilo de logice Ill. Wendt de therapia speciali, de thermis ac de morbis infantum.

Duces mihi fuere in theatro anatomico Ill. Rathke et Cel. Burdach; in clinicis Ill. Benedict, Ill. Betschler et Ill. Remer. Adiuvaverunt autem Exp. DDres. Benedict, Koehler, Menschig, Nega, Reymann, Wendt.

Quibus omnibus viris Illustrissimis, Clarissimis, Celeberrimis, Experientissimis gratias ago quam maximas et debitas.





Some tight gutters